IO. AVGVSTI ERNESTI

ARCHAEOLOGIA LITERARIA

EDITIO ALTERA

EMENDATA ATQVE AVCTA

OPERA ET STVDIO

GEORGII HENRICI MARTINI

LIPSIAE

SVMTV CASPARI FRITSCH

MDCCLXXXX.

PRAEFATIO EDITORIS

Viri non pauci eruditionis nomine perquam celebres, atque auctoritate in rep. literaria multum valentes, intellecto, me τοῦ πάνυ ERNESTI *Archaeologiam literariam*, in praelectionibus academicis, post Viri Summi mortem, semel iterumque interpretatam plenius illustrasse, et haud exigua librorum, ad hoc literarum genus necessariorum copia instructum esse; identidem optare sese mihi significarunt, vt de conficiundo libello simili cogitarem, ac quae in Ernestiano superuacanea videntur, inducere, quae desiderantur, suo quaeque loco admista exponere, quae dubia vel falsa, emendare, nec tam literaturae, quam artium ipsarum, et rerum ingeniose affabreque fabricatarum rationem habere vellem. Quod idem bibliopola, auctoritate viri, nescio cuius, permotus saepenumero postulauit. Ego vero, quamquam virorum me doctiorum atque praestantiorum voluntati obtemperare, quam repugnare malo, et quidquid in me est ingenii scientiaeque, quod valde exiguum esse non ignoro, lubenti et promto animo ad prouehendum artium optimarum florem adhibere volo et debeo: tamen caussis, aeque grauibus ac multis permotus, postulatis, quae dixi, honestis mihique sane honorificis obsequi dubitaui; in aliis propterea, quod non parum metui,

ne probabili meo illis obediendi ſtudio inflammatus, onus ſuſciperem grauius; eidemque ferendo impar, tam virorum, quos dixi, optimorum exſpectationem deciperem, quam memet ipſe turpiter darem. Conſilium enim atque inceptum eiusmodi librum, qui poſcitur et exſpectatur, conſcribendi, quam arduum ſit, et quam difficile, ex iis, quae excurſuum qualiumcunque meorum primo expoſui, iam ſatis et luculenter perſpici poſſe, non temere opinor. Opinionis meae cauſſas qui recte et accurate animo expendere haud grauatur, is tantum abeſt, vt ſententiae meae refragari poſſit, vt potius adſtipulari, in eamque abire debeat. Praeter haec, pudore quodam ingenuo et liberali erga vniuerſam ciuitatem literariam affectus, diuulgare verebar librum, ſuper loco eo ſcriptum, qui vel viris in hoc literarum genere quam maxime verſatis, et omni librorum exquiſitorum copia inſtructiſſimis, difficilior eſt viſus, quam quem ſcribendo perſequerentur, et cuius capita, multa pariter ac diuerſa, nec parum a plerorumque virorum doctorum ſtudiis aliena, eo exponerent. Hinc bibliopolae, viro honeſtiſſimo atque integerrimo, auctor et ſuaſor exſtiti, libellum Erneſtianum, viri cuiuſpiam eruditi cura et ſtudio recenſitum auctumque recudendi, itaque vulgandi, vt in poſterum quoque, qui volunt, doctores publici eo, tamquam duce, vti, et archaeologiam in praelectionibus academicis docere poſſint. Cuius negotii adgrediendi perficiendique curam, quoniam

niam duobus VIRI aeternum colendi Nepotibus, VV. Celeberrimis et longe Eruditiſſimis, ad quos eam in primis pertinere rebar, per cauſſas grauiſſimas et incepta alia, rei et publicae, et literariae vtiliſſima, ſuſcipere non licebat: eam mihi, quod libelli interpres aliquoties iam exſtitiſſem, duumuirûm, quos dixi, ſuaſu hortatuque demandare voluit libelli redemtor optimus; perſuaſus et ab aliis viris eruditis, ac cauſſis, neſcio quibus, libellum Erneſtianum meis curis, mea opera et ſtudio fore talem, qualem viri docti et harum rerum intelligentes ſatis ſint probaturi. Quod de me et qualicunque mea ſcientia iudicium, quam honorificum mihi ſit, video; quam verum, alii videant decernantque. Quamquam enim, maxime ex quo mihi contigit, vt in patriam reuocatus, et Lipſiae Scholarum publicarum alteri praefectus, in luce et conſpectu virorum celeberrimorum verſarer, nonnihil temporis in omni archaeologia inueſtiganda conſumſi, et vndique quaeſitis, coemtis, lectis optimis quibusque libris ad eam pertinentibus, ſcientiam meam augendam putaui: id tamen, ne quid arroganter a me dictum exiſtimetur, mihi haud aſſumo, vel meo iure quodam modo vindico, me in hoc literarum genere tantum videre, quantum videat, neceſſe eſt, qui diſciplinae tum late patentis rationem et quaſi formulam libello aliquo ſuo concluſam et comprehenſam exponere, vel alius cuiuſpiam Viri Celeberrimi librum emendare adgrediatur. Tantam igitur rei archaeo-

logicae cognitionem quum mihi aſſumere et vindicare nec vellem, nec poſſem; curam vero et operam Erneſtiani libri retractandi per cauſſas varias, easque iuſtiſſimas, recuſare nollem, ne aut aliorum iudicio mihi tam honorifico, aut mihimet ipſe defuiſſe iudicarer: negotium mihi demandatum ſuſcepi tandem, et in eo exſequendo maximam, quam poteram, curam pariter ac modeſtiam obſeruare mihi imperaui, ne cui pietatis honeſtatisque leges temere, ne dicam, malitioſe migraſſe videar. Quodſi non reapſe aſſequutus, certe quidem ſequutus ſum, hac via et ratione.

Nimirum oblato mihi, et humaniſſime tradito a Ioan. Chriſtiano Theophilo, altero Auctoris immortalis Nepote Digniſſimo, et Profeſſore exquiſita artium plurimarum ſcientia Clariſſimo, exemplo libelli eo, quo Vir Summus in tradenda hac diſciplina ipſe vſus erat, et in quo partim operarum errores emendarat, et vnum alterumque vocabulum aut mutarat, aut adiecerat, partim etiam in eius margine paucis verbis notarat, quae in ſcholis copioſius perſequi conſtituiſſet: equidem meum eſſe credidi, in exemplo eo, ex quo libellus iterum excudendus erat, errores, quos dixi, emendare, voculas mutatas adiectasue itidem mutare et adiicere, vt adeo editio altera vere emendatior futura eſſet. Ex eis autem, quae in ora erant adnotata, nihil in orationem contextam recepi, quoniam ſingulis locum ſatis idoneum adſignare non poteram, et quae Ipſe

pro-

promulgata noluerat, diuulgare verebar. Qua mea cura tum effecisse opinor, vt noua libri recensio a prima haud discrepet, tum cauisse, ne quam opinionem meam Auctori aeternum Colendo affingere, atque hoc nomine venditare velle existimer. Verbo, libellus Ernestianus, cura qualicunque mea iterum promulgatus, in lucem exit ita, vt nemo quidquam in eo temere mutatum, omissum, additum, vere conqueri possit. Legem longe aequissimam, qua *cuique suum* tribuere iubemur, religiose obseruaui: quod, quibus vtramque editionem comparare placet, verissimum esse deprehendent.

At enim vero ne librum velut prorsus indotatum dimitterem, compluribus eum auxi Excursibus, quibus capita varia, ab Auctore Celeberrimo tacta quidem illa, sed non satis luculenter exposita, paullo plenius differendo persequi visum est. Eis continentur plura, quae ad *artificialem* (liceat mihi hoc vocabulum heic loci sensu parum vsitato vsurpare) rectius et verius, quam ad *literariam* pertinent archaeologiam; eo quod talia in libello, de quo quaeritur, potissimum desiderarunt viri harum rerum intelligentes. Neque tamen haec omnia ad viuum resecare potui, aut volui, sed tantum breuiter strictimque tangere, veritus, ne libellus, iusto plus auctus, sua laboraret mole. Praeter haec in illis non nisi specimen edere libuit rerum, quas ego, libelli interpres, in praelectionibus academicis tradere soleo, et quas plenius persequi propositum est libro singulari

 super

ſuper archaeologia vniuerſa ſcribendo, ſi Deus o. m. mihi, homini fere ſeptuagenario, vitam viresque largiatur; neque interim inutilis et prorſus ſuperuacaneus fiat eiusmodi labos, per omnium *Operum antiquitus affabre fabricatorum hiſtoriam*, quam Vir quidam Celeber atque Eruditus, ſeſe ſcripturum, ac cum viris eruditis communicaturum eſſe, ſemel iterumque ſignificauit, vel plane pollicitus eſt. Quem ſi promiſſis ſtetiſſe, et eiusmodi hiſtoriam edidiſſe videro, ſchedas meas, ad hoc argumentum pertinentes, ſine mora ſcriniis latere iubebo, non nonum in annum, ſed in perpetuum. Interea dum quidquid ad eam rem pertinere arbitror, vnde fieri poteſt, colligo, iuſtum in ordinem redigo, ſuper rebus ſingulis, earumque cauſſis, quantum par eſt, ac poſſum, commentandi cauſſa meditor, vt librum, ſi vnquam conficere, et per graues illas, quas dixi, cauſſas diuulgare licebit, lectoribus aequis, et harum rerum prudentibus probare poſſim; tempus, a neceſſariis officii mei muneribus curandis reliquum, iuuante Deo o. m. impendam ita, vt partim operum ingenioſe et affabre factorum, quibus Graecia potisſimum celebrata fuit, auctore PAVSANIA, indicem ex huius libris conſcriptum, in lucem exire iubeam, partim in noua PAVSANIAE editione recenſenda et adornanda elaborem, quoniam ſcriptoris huius opus cum maxime plane non venit in tabernis librariis, et varii eius loci, ab interpretibus et editoribus minus recte intellecti, eoque nomine, ſi quid intelligo, incon-

inconsiderate tentati sunt. Quod negotium si quando adgredi potero, nihil profecto reliqui faciam, vt necessaria ad id recte et ordine curandum et perficiendum praesidia per amicos meos adipiscar.

Excursibus meis continentur multa, quae, tantum abest, vt pro veris et luculenter demonstratis accipienda censeam, vt potius non nisi pro meris coniecturis super rebus perquam dubiis et incertis habeam, et ab aliis haberi velim. Plurima enim, quae ad Artium origines, progressum, perfectionem, propagationem et quasi migrationes pertinent, tanta premuntur caligine, vt; qui singula explorare liquido, narrare et demonstrare possit, credam fore neminem. Eis adnumero, quae de scribendi inuento, et huius propagandi ratione; quae de orichalco, non facticio, sed nato; quae de numorum cudendorum arte, aliis, disputata sunt. Talia aequo, reor, animo leget et examinabit lector quisque humanus, et prudens rerum similium existimator: ac si quem fore intellexero, qui meis rectiora et veriora tradat, firmisque argumentis efficiat, eum omni, qua par est, laude et studio prosequar, eiusque in sententiam omnium primus sum abiturus. Contra siquis, arrepta ex eiusmodi coniecturis occasione, probabile et honestum consilium, quo eas cum viris eruditis communicatas volui, sugillare, et nota quasi censoria in ludibria vertere velit: is sese sciat hoc facto mihi minus, quam sibi nocere, et literas optimas prouehendi studium

 magis

magis exſtinguere, quam inflammare. Talis mea mens eſt, tales meae, hominis ſeneſcentis, rationes, vt me nec laus immerita arrogantem, nec iniuſta reprehenſio humilem et abiectum reddere ſoleat.

Fuerunt alii, qui, intellecto meo conſilio, me rectius et melius facturum fuiſſe exiſtimarent, ſi, excurſuum loco, notas, ſingulis libelli paginis ſubiiciendas, ſcripſiſſem. Tales ſcribere poteram, et volebam, quin reapſe inchoabam: ſed mutaui mentem, animaduertens, adnotationes paucas et breues, parum vel nihil vtilitatis habituras, plures et longiores lectori plurimum taedii adlaturas. Erat, praeter haec, cauſſa alia, eademque grauiſſima, quae me, vt incepto abſiſterem, perpulit; ſed quam de induſtria ſilentio praetermittere placet. Multa igitur, quae in eiusmodi notis erant tangenda, in excurſus meos referre volui, quod me iſta viderem in his paullo copioſius, et vno velut tenore, quam in eis, diſſerere poſſe. Accedit, quod hoc modo ſuſpicionem quam facillime amouere poteram omnem, multa fortaſſe a me adnotata eſſe iniquo vel maleuolo in ERNESTIVM immortalem animo, eoque tantum conſilio, vt haberem, quod refellerem. Sed huiusmodi praeuaricationem me ſciunt odiſſe, ac prorſus deteſtari, quotquot me recte norunt. Quin moleſtiſſime fero, ſiquem virum probum, quantumuis ignobilem, nedum ERNESTIVM, de humanitatis artibus et vniuerſa re literaria quam optime promeritum, audio legoue teme-

re

re reprehendi et contumeliis affici ab iis, qui merita de re literaria vel exigua, vel plane nulla iactare possunt. Absit, longissime a me absit similis improbitas atque peruersitas; quae tantum abest, vt sit decori, vt potius maximo dedecori esse oporteat. Equidem vt viuum magni, quantum par erat, feci Eximium, de quo quaeritur, Praeceptorem et Fautorem, ita vel mortui honori et existimationi quauis ratione consulendum esse censeo. Qui Ipsum aliqua in re errasse credit, ac videt etiam; is sese itidem sciat, hominem esse, qui errare queat: adeoque erga Illum affectum esse debere ita, vt alios erga se errantem vel lapsum, animatos esse velit. Atque haec caussa me adduxit etiam, vt ego illorum, qui scriptoris cuiuscunque vel libros singulares, vel omnes simul, iterum promulgant, rationes imitari noluerim. Plerique enim, qui hoc faciunt, auctoris illius aut merita praeter modum laudibus extollunt; aut lapsus valde faciles et humanos nulla non occasione ita exaggerant, vt prauae et peruersae, qua sunt, indoli satisfacere possint. Cuiusmodi homines, vbi animaduerto, procul a me abesse iubeo, eorumque mores et consuetudinem plane abominor. Temere atque inconsulte vt non laudare, ita nec aspernari, quemquam soleo.

Erunt fortasse, qui, quoniam ipsi nullo non scripti cuiuspiam sui loco libros, quotquot vel legerunt, vel viderunt tantum, aut ex ephemeridibus literariis promulgatos esse sciunt, legentibus

gentibus adnumerare ſolent ac crepare, non aliam ob cauſſam, quam vt ipſos aeſtimes ſuſpiciasque velut viros, mille librorum lectione eruditos et nutritos; ego contra in excurſibus meis paucos duntaxat libros, hic, illic, memoraui, meam rationem hoc nomine reprehendant, meque negotium ſuſceptum minus recte, et vt decebat, exſequutum opinentur, ac contendant. Sed ſiqui futuri ſint, qui ita ſtatuant, eos bene meminiſſe velim, in ſimili libello Archaeologiae *initia*, non *hiſtoriam literariam* proponi, ipſiusque interpretem, docendo, libros plures, quam quos dixi, indicare, quin, ſi rariores ſint et praeſtantiores, monſtrare oportere, vt, qui ipſum audiunt, eos intueri, contemplari, et quid in eis praecipuum vel ſingulare ſit, mentibus inculcare poſſint. Hoc profecto longe maiorem adfert vtilitatem, quam vel copioſiſſimus librorum index, quorum ne nomina quidem memoria tenere, nedum iuſtam et accuratam notitiam de ſingulorum vſu et praeſtantia ex eiusmodi nomenclatura conſequi poſſumus. Vnde eam, quam dixi, ſequutus ſum rationem, quotiescunque Erneſtiani libri interpretem egi: hanc ſequar in poſterum, ſiqui erunt, qui archaeologiae deliciis allecti, me magiſtro vti, ſe non indignum exiſtiment.

Ex eis, quae dicta ſunt, ſatis poteſt intelligi, quid lectores in libello, cura operaque mea iterum vulgato, exſpectare poſſint et debeant. Nimirum accipiunt eum integrum, et locis compluribus

pluribus emendatiorem: praeter hunc, excursus qualescunque meos, quibus nonnulla capitum singulorum loca vel plenius differui, vel coniectura aliqua mea in eiusmodi velut adspectum collocaui, vt aliter, ac solet, de iis existimari oporteat: denique copiosiorem rerum tam earum, quae ipso libello Ernestiano, quam quae excursibus meis continentur, indicem, vt viri eruditi, qui librum totum perlegere nequevnt, ex hoc videant, siquod rei, quam ipsorum plurimum interest indagare et perspicere, lumen ex eo petere possint.

Atque haec habui, quae de altera libelli Ernestiani editione, qualicunque mea opera studioque curata, emendata et aucta, dicerem. Dicta sunt pauca alia de illius ratione excursu omnium primo, quae comparata cum his, quae praefandi caussa scripsi, mentem meam satis declarabunt. In quo, quamuis excursibus meis nonnihil aucto, deesse et scio, et fateor, adhuc plura, quae ad *τοῦ Antiqui* studium recte et prudenter instituendum requiruntur: vt, locus de incredibili *Critices* necessitate, sine cuius praesidio tantum abest, vt, quod opus vere antiquum, integrum et bene conseruatum sit; quod primo et primario cuidam *protypo* conuenienter, velut *ectypon*, per artificem alium, imitando formatum; quod trunco alicui antiquo, a recentiori manu temere adpositum et quasi adsutum, quisquam videat, vt potius in caussa simili decernenda, facile et vehementer errare ac falli possit: idque tum in primis, quum ipsum

ipſum de colligenda ſupellectili antiquaria cogitare percrebeſcit. Huiusmodi emtori quanta cautio tum ſit adhibenda, ne ipſe venditione hominis aſtuti fraudulenta decipiatur, hic, illic, vno iam verbulo indicaui. Totum vero argumentum, vt alia quaedam, mihi hac opportunitate dicendo perſequi non licuit, animo ſatis praecipienti, hanc diſputationem, ſi plena, perfecta et omnibus numeris abſoluta ſit, iuſto copioſiorem; ſin tantummodo affecta, manca, necdum confecta, prorſus inutilem futuram eſſe. Vnde eam in praeſenti plane non tangere, quam vixdum inchoatam relinquere malui. Faxit Deus o. m. vt libellus, ita recuſus, nonnihil momenti habeat ad Iuuenum Generoſiſſimorum atque Nobiliſſimorum, literis et artibus liberalibus operam nauantium, animos permovendos atque incitandos, vt in reliquis literarum ſtudiis, quibus recte, et, vt par eſt, eruditi tum patriae dulciſſimae ornamento et praeſidio, tum ſibimet ipſi decori eſſe poſſunt, huic quoque diſciplinae animum applicare ne graventur; quippe qua imbuti, pulcri venuſtique ſenſum et intelligentiam, ad res multas pertinentem, adipiſcentur et quaſi induent, ac liberi ſimul tutique erunt ab omni metu, de operibus ingenioſe affabreque fabricatis, ſiue antiqua ſint, ſiue recentiora, praue et peruerſe ſtatuendi. Cuiusmodi iudicio turpiter ſeſe dare non minus nocet exiſtimationi, quam reprehendenda rerum aliarum ignoratio. Scrib. Lipſiae e ſchola Nicolaitana pridie Kal. Octobr. MDCCLXXXX.

PRAE-

PRAEFATIO AVCTORIS

Vltimum operum mortalium immortali ad noſtram Patriaeque communis memoriam Principi, CHRISTIANO FRIDERICO, fuit Academia Pictoriae aliarumque artium, quae pulcritudinis maxime commendationem habent. Id inſtitutum, non profecto a vanitate ortum, ſed totum ad vtilitatem popularium, vt omnia illius Principis opera, comparatum, mihi videbar non ſolum gratia ea, qua dignum erat ipſum, qua longe digniſſimus auctor, pro virili mea parte excepturus eſſe, ſed etiam a parte ea, qua eſſet doctrinae liberali coniunctius, aliquantulum adiuturus, ſi iuuenes liberales et nobiles ad cognitionem aliquam operum antiquorum, quae ab artibus iis nata eſſent, adducerem; praeſertim cum illius Academiae eſſet in hac vrbe noſtra pars non parua. Itaque inſtitui tum primum Lectiones Archaeologicas, quae proprie ad hoc genus antiquitatis, accommodate ad aetatem illam et ad vſum doctrinae explicandum, pertinerent, easque quarto quoque ſemeſtri repetii. Id mihi erat expeditius, quod ante hos quatuor et viginti annos, Plinii Hiſtoriam naturae vno tenore legens, tum alia ad antiquitatis cognitionem, tum maxime ad totum hoc genus pertinentia, notaram, eaque ſubinde, cognoſcendis operibus antiquariis, tum

tum ſuperioribus, tum poſt illud tempus editis, auxeram, vnde ſumere, quae conſilio prodesſent, haud difficile erat. Sed mihi placebat, latius aperire illius inſtitutionis archaeologicae fines, et totum genus operum antiquorum complecti, nec modo quod ab artibus illis ingenioſae pulcritudinis profectum eſſet, ſed etiam quod magis ad literas illuminandas pertineret, et ad eruditionem liberalem et elegantem. Hinc de ſcripturis antiquis, de libris, titulis, numisque tradere placuit, etiam de diplomatis, non modo iis, quae veterrima latinitate dicuntur, et proprie ad antiquitatem Romanam pertinent, poſſuntque ad Inſcriptionum caput referri; ſed etiam poſterioribus, et antiquitatis, vt ita dicam, iunioris, quae conſuetudo noſtra intelligit, cum diplomata commemorat. Etenim exiſtimabam, vix alium mihi commodiorem locum dari, de eo genere monimentorum veterum praecipiendi, quae prodeſſe iuuentuti poſſent in ſtudio hiſtoriae: nec alienum putabam, ea, quae in hoc genere maxime neceſſaria eſſent, tradi a me, cui profuiſſet, horum monimentorum indolem et vſum mature per diſciplinam BERGERI, in Schola Vitembergenſi, vtcunque cognouiſſe; quanquam ille, vix tum ex Italico itinere redux, diplomata latius, de omni genere literarum publicarum, etiam quae in libris monimentisque aliis veteribus reperiuntur, dicebat, ſecutus, vt opinor, MAFFEVM, quocum in Italia multum fuerat verſatus, amicitiamque

que contraxerat. Omnino illi diſciplinae maturum amorem omnium literatorum ſacrae et profanae antiquitatis monimentorum, vt, Inſcriptionum, Liturgiarum, Conciliorum, etc. ac ſtudium debeo. Quae igitur ex illis generibus omnibus delecta, et ad capita quaeque ſua digeſta, aliquoties in Scholis tradidi et vberius illuſtraui, ea nuper recognita per ruſticationis otium, typis permiſi exprimenda, vt ſcribendi neceſſitatem demerem diſcentibus, et tempus lucrarer, quod dictandi mora periret. Sed de conſilio et ratione libelli et inſtituti explanatius dicendum videtur, ſi cauere poſſim, ne, quod ad vtilitatem iuventutis et literarum comparatum eſt, ad noxam trahatur.

Non equidem negem, in toto illo tum inſtituto ſpectatum a me eſſe id, a quo ortum dixi, vt ingenia adoleſcentum aliquem vel ſenſum, vel amorem illius elegantiae et pulcritudinis caperent, quae in operibus artium antiquis laudari ſolet, et ii, qui eſſent a re familiari inſtructi ſatis, ad diſcendam artem linearem allicerentur, qua maxime acuuntur oculi ad iudicium pulcritudinis in operibus adſpectabilibus artium: ſed multo magis videbam ea, quae ad literarum et doctrinarum vſum prodeſſent. Primum volebam allicere ſtudioſos, atque adeo adducere ad partem difficiliorem antiquitatis, et literarum graeca-

rum latinarumque cognoſcendam, qua ad hoc genus antiquitatis intelligendae opus eſt, praeſertim ſi e fontibus haurire, aut ſcriptores veteres ipſe conſulere, omninoque eos intelligere velis, cum de talibus operibus et artibus loquuntur, quod faciunt non raro; nec modo ii, qui proprie graecae et latinae linguae auctores dicuntur, ſed etiam eccleſiaſtici, vt, CLEMENS ALEXANDRINVS (v. Paedag. II, 3.), TERTVLLIANVS et alii, nec minus libri Iuris Ciuilis, Pandectae et Codex vterque. Deinde amorem et ſtudium omnium monimentorum veterum, praeſertim literatorum, iniicere me ſperabam poſſe, et ad eorum vſum in vario genere doctrinae praeceptis exemplisque adducere; quod mihi, vt ante dixi, mature contigiſſe gauderem. Notitia denique librorum meliorum in omnibus generibus antiquorum operum et multis partibus doctrinae liberalis tradenda, tentabam amorem ac ſtudium hiſtoriae librariae reuocare. Etenim videbam, hodie homines vulgo ad illam hiſtoriam tardos eſſe, et totum illius ſtudium inter nos refrixiſſe; quod ante hos amplius triginta annos etiam plus, quam ſatis eſſet, vigebat, nec ſatis apte ad vſum doctrinae tractabatur, vt etiam interdum illius moderandi, et ad certiores vſus dirigendi, auctores eſſemus.

Atque

Atque his omnibus aliisque de caussis *literariam* appellaui hanc *Archaeologiam*, vt non artificibus, pictoribus, caelatoribus, architectis, nec istis vernaculis nugatoribus antiquariis, sed studiosis liberalis doctrinae destinatam, eorumque studiis et rationibus accommodatam esse appareret. Itaque raro ac parce attigi rationem eam, quae artificio coniunctior est, et tum demum, cum necessitas aliqua extabat, admonens etiam subinde, vbi desinendum esset Archaeologiae literatae, ne fines artificum temere ingrederetur, quod raro audebit sine periculo, ne ab iis irrideatur. Atque vtinam his commemorandis, et multo magis, tota re ita in Scholis tractanda, possim efficere, vt ne qui, vel antiquitatis huius studio vel elegantiae nomine capti, declinent ab illa literata ratione ad alteram, quae magis est artificis, quam hominis docti; quo visa est; ab aliquo tempore res vergere, cum nonnulli, eruditionem professi, nimis multa de artificiis ipsis dicere et pulcritudine operum, pauca ad vsum literarum et doctrinae, tanquam magisterium artium ipsarum profiterentur. Laudo et amo viros praeclaros, qui opera artium antiqua ita describere instituerunt, vt etiam pulcritudinis et artificii rationem aliquam haberent, in primisque CAYLVM Comitem, qui, in pulcerrimo operum antiquorum apparatu, eius rationis auctor studiosis antiquitatis extitit, (v. T. I.

 Praef.)

Praef.) quod opus hoc etiam nomine et ipſe magna cum voluptate legi, et in hoc ipſo Archaeologiae libello ſaepe commendaui: ſed id, cum ipſe proprie ad artificum vſum et artium ipſarum vtilitatem retulerit, non debet eo trahi, vt eo, quod difficilius eſt in hoc genere ac minus ſpecioſum ad vulgi ſenſum et captum, et tamen maius, h. e. quod ad vſum doctrinae liberalis pertinet, relicto vel negligentius tractato, alterum, pulcritudinis artisque intelligendae et iactandae vanitate capti, vel vnum vel maxime amplectamur. Atque, vt arbitror, hic quoque imitandus eſt Cicero, qui de harum artium operibus ita loquitur, vt non obtuſus ad ſenſum pulcritudinis videri velit, ſed tamen abſit a vanitate eorum, qui acerrimo eius ſenſu et iudicio praediti vel eſſent, vel videri vellent.

Quo loco non alienum arbitror, effundere dolorem quendam meum, et querelam non iniuſtam, vt opinor; ſi poſſim occurrere malo latius in dies ſerpenti, et ſeueris ſtudiis doctrinae liberalis prope perniciem minanti. Fuit quoddam tempus ſuperiori ſaeculo, cum homines quidam, eruditi illi quidem, ſed non ſatis ſubacti ſeuera literarum graecarum et latinarum diſciplina, qualis in Germania, his etiam in terris per Melanthonem et Camerarium conſtituta fuerat, quod audie-

audierant, auctoribus graecis et latinis, in primis historicis, cognoscendis, prudentiam politicam comparari posse, totam rationem eorum cognoscendorum ad hanc partem trahebant, et, relicta seuera interpretandi et intelligendi ratione, in Scholis et in Commentariis Politicam tantum artem sequebantur. Eius rei dulcedine, praesertim, quae difficultatis nihil haberet, capta iuuentus, nihil nisi sententiolas politicas et locos communes de rebus ciuilibus captabat, secura interpretationis accuratae et vtilitatis ceterae, ex scriptorum veterum lectione recte instituta capiendae. Sublatum est hoc literarum malum per disciplinam I. F. GRONOVII et GRAEVII, quorum ea de re, et inani iuuenum studio politicas artes discendi ex Historicis non intellectis, extant narrationes. Ecce vero aliud repente malum! Cum illi praeclari viri ad intelligendos scriptores graecos et latinos plurimum prodesse ostenderent cognitionem antiquitatis graecae et latinae, rituum et morum antiquorum, eamque et ipsi iuuarent vel docendo, vel libris antiquariis edendis, accepta est res et culta diligentius. Ibi tum maior pars repente se totam eo conuertit, et nihil nisi antiquitates loqui coepit. Itaque effectum est paullatim, vt literas humaniores nosse, earumque scientiam ostendere, nihil prope aliud esset, quam locos quosdam antiquitatis in

promtu habere, ſuper iis collecta ex Indicibus, Lexicis, vel in Lectionibus ſuper auctores veteres, vel in Commentariis, libellisque aliis proferre et iactare, cum magna pompa auctoritatum, et latis notarum, nominibus illuſtribus ſplendentium, limbis. Haec, me adoleſcente, ratio dominabatur, haec in Scholis, haec in hac ipſa Academia valebat maxime, cum GESNERVS, ante hos prope quadraginta annos, in hanc Vrbem venit, cum ipſe ad docendum acceſſi. Ego vero, cum ille a nobis abiſſet, hanc rationem oppugnare coepi, cum magna tum invidia mea apud multos, aliam, veterem illam, veram et ſeueram, ſcribendo, docendo maxime, commendans noſtris, vt GESNERVS faciebat apud ſuos, h. e. quae ad accuratam interpretationem per iuſtam ſcientiam linguarum adduceret, quae doctrinae omnis copiam e ſcriptoribus graecis et latinis recte intellectis haurire iuberet, quae indolem verae eloquentiae et eius petendae viam demonſtraret, quid recte, eleganter, acute, venuſte, magnifice dictum eſſet, iudicare doceret, quae ingenia formaret, quae ſenſu honeſtatis et virtutis admiratione, vitiorum odio imbueret animos. Vicimus, effecimusque adiuuantibus de diſciplina noſtra multis, vt ea ratio valeret. Enimuero ſenſi, et ſenſere alii, multos coepiſſe ab aliquo tempore ex hac ratione decerpere, quod eſſet faci-

facilius, et magis ſenſu, quam labore conſtaret, hoc eſt, quod ad pulcritudinem figurarum et ſententiarum, vtcunque intellectarum ſpectaret, vt in fabulis, maxime ſcenicis, carminibus aliis, itemque reliquis generibus ingenioſis ſcribendi: has *bellas literas* vocari, nouo more, et prope eo rem redigi, vt literae bellae, etiam *ſcientias pulcras* vernaculo ſermone appellant, ſcenae maxime ſeruiant, fabuliſque ſcenicis iudicandis et ſcribendis, earumque arti, venuſtati vel ſublimitati in ſententiis intelligendae, et, vt loquuntur, guſtandae: dum interea veteres illae literae bonae et humaniores, qua labore conſtant, et doctrinis literarum proſunt, vel negligantur penitus, vel tractentur remisſius et negligentius. Quae ratio, mulierculis aptior, quam viris, fortaſſe in earum gratiam inſtituta, vt in communionem literarum veniant et ipſae, vt ipſarum iudiciis ac laudibus floreant belli homines; haec igitur ratio ſi latius ſerpat ac diutius valeat, magnam calamitatem literis bonis afferet.

Quo minus mirari quiſquam aequus rerum iudex debet, ſi literis etiam ab hac parte antiquariae ſcientiae, in hac vanitate ſaeculi, et mollitie hominum, timeo, eique malo cautum cupio: in quo vt alii, qui literas ſeuere didicerunt, et vere amant,

amant, ſubleuent curam noſtram, vehementer opto.

Ita dimiſi e manibus hunc archaeologicum libellum; in quo ſi me, propter multitudinem et varietatem, aut obſcuritatem rerum, in tanta occupatione mea, vel memoria, vel ratio aliquando fefellerit, quod vereor ſane, ne interdum acciderit, eius rei a peritioribus, et magis vacuo animo iſta tractantibus, veniam peto.

PRO-

PROLEGOMENA.

1.

Antiquitatis cognoſcendae duplex ratio eſt: quarum altera inſtituta, ritus ſacros ciuilesque, mores item publicos priuatosque perſequitur, ad vſum doctrinae liberalis et prudentiae ciuilis: altera autem operum antiquorum reliquias ſpectat, et ad eruditionis copiam et ad ingenii elegantiam: quam *Archaeologiam litterariam* appellemus licet.

2. Etenim, vt primam illam et vulgatiorem rationem mittamus, cum veteres religionem ſuam, hiſtoriam, inſtituta ciuilia et militaria, iura, aliasque res multas, publicas priuatasque, doctrinam ipſam, per varia opera poſteris tradere inſtituerint, ſintque in iis impreſſa ſimulacra et alia multa veſtigia rerum antiquarum; ſua ſponte intelligitur, quam ſit in iis multiplex ad varias doctrinae partes, ad hiſtoriam et Criticam in primis, ad intelligendos denique ſcriptores veteres vtilitas.

3. Et ſunt in iis multa, in quibus ars exquiſita cernitur, ad vitae cultum et elegantiam fructuoſa: quibus adeo cognoſcendis ſenſus et guſtus elegantia quaedam (Cicero intelligentiam vocat) venit non illiberalis, aut homine erudito indigna. Nam et inſtauratio artium pulcrarum inde quondam initium habuit: et pars eſt hodie elegantiae, talia opera non ignorare, nec in eorum iudicio ſtupidum aut abſurdum eſſe.

4. Sunt autem opera antiqua vel literata, vel literis carentia. In illo genere codices ſunt ſcripti, chartae, numi, tituli; in hoc picturae, ſcalpturae, ſtatuae, vaſa etc. quamquam haec quoque interdum literis ſunt notata.

5. Tum in omnibus et materia ſpectatur et forma: haec arti propria eſt; in illa plerumque naturae modo opus cernitur, quamquam interdum etiam artis.

6. Itaque haec Archaeologica inſtitutio in partes deſcripta nobis ſit duas: quarum prima materiam operum antiquorum exponat, chartas et ſcripturam, marmora, gemmas, et alios lapides, tum nobiliores, tum ignobiliores, metalla, ligna etc. altera autem genera ipſa operum ad vſus ante demonſtratos accommodate perſequatur.

PARTIS

PARTIS PRIMAE
CAP. I.
DE
SCRIPTVRA ANTIQVA etc.

1.

Antiquiſſima cogitatorum et ſenſuum exprimendorum ratio figurata videtur fuiſſe et ſymbolica, quae primum figuris rerum ipſarum pictis vteretur pro ſignis, deinde ſignis meris, velut iis, quae hieroglyphica dicuntur: (v. WARBVRTONI L. IV. *de Legatione Moſis*, ſeparatim francice editum, et a viro docto illuſtratum *Pariſ.* 1744. 12.) quamquam alii aliter iudicant: donec res ad literarum et ſcripturae inuentionem deducta eſt.

2. Haec, quem populum hominemue auctorem habuerit, quo denique tempore exſtiterit, plane ignoramus; nec attinet fabulas et opiniones commemorare: antiquiſſimae eſſe originis, et mature, vt alias artes, ingenio humano ab neceſſitate expreſſam quidem, ſed adiuuante prouidentia diuina perfectam, facile concedimus.

3. Antiquiſſimum literarum genus eſſe *hebraicum* vix dubitari poteſt, ſed longe rudius eo, quod nunc dicimus; (nam id Chaldaicum ac nouum eſt:) nec diuerſum a *Phoenicio* veterrimo, a quo etiam omnis alia ſcriptura, graeca, et latina, ducta eſt. v. CHISHULL *Antiqu. Aſiat.* p. 25. BVRGVETVS *Bibl. Italic.* T. XVIII. p. 63. etc.

4. Nam

4. Nam a Phoeniciis literae primum illatae ſunt Graeciae per Pelaſgos, multo poſt per Cadmum; a cuius literis paullatim mutatis *Ionicae* ortae ſunt. Pelaſgi in Italiam transtulerunt adque *Latinos:* ad Etruſcos dudum alia via ſcripturae vſus venerat, ab his etiam ad vicinos. In Hiſpaniam, Siciliam, Africam veniſſe Phoenicias in promtu eſt. Itaque in Siciliae Hiſpaniaeque monimentis antiquis reperiuntur. De Hiſpanicis in primis extat LVD. IOS. VELASQUEZ liber hiſpanice ſcriptus, *de literis ignotis in monimentis Hiſpaniae antiquis*, Madriti, ante non multos annos (1752. 4.) editus, (quem illuſtriſſ. BACHOVII beneficio habemus, qui in Hiſpania legatione functus eſt,) ad hanc partem literaturae admodum vtilis.

5. Literarum *graecarum* antiquiſſima exempla ſunt in inſcriptione Amyclaea FVRMONTII (T. I. *Nouv. Tr. diplom.* p. 616.) et Sigea CHISHULLI, vtraque viginti ſeculorum aetatem ſuperante. Aliquot ſeculis iuniora ſunt, quae in tabulis Heracleenſibus nuper erutis ſpectantur, et apud MONTEFALCONIVM *in Palaeogr.* p. 122. b. et 135. vt alia mittamus. De literis graecis vniuerſis nemo doctius ſcripſit SCALIGERO ad *Euſeb.* p. 110. ſed addendi SPANHEMIVS *de Vſu et Praeſt. Num.* Diſſ. II. BVHERIVS in Diſſ. *de literis graec.* ad calcem MONTEFALCONIANI operis, et in Diſſ. ſur *Herodote* c. 10. et alii, qui per monimenta noua locum hunc magis excoluere.

6. De *Etruſcis*, quarum exempla ſunt in tabulis Eugubinis (ap. GRVTER. T. I. p. CXLIII.) et aliis monimentis nuper prolatis, planum factum eſt

eſt a GORIO, SVINTONO, et aliis, eſſe Phoenicias ſ. Pelaſgicas, modo veterrimo ſcriptas. v. GOR. *Muſ. Etr. I.* p. 47. ſ. SVINTONI *de lingua Etr. regalis vernacula.* add. CHISHULL *Ant. As.* p. 24. in tab.

7. Atque etiam in antiquiſſimis *Aegyptiacis* ſcripturis, quamquam nondum ſatis perſpectis ac cognitis, tamen veſtigia ſcripturae Phoeniciae, et qua literas, et qua ſeriem ſcribendi, reperta ſunt. v. CAYLVS *Collect. Ant.* T. I. p. 65; V. p. 77.

8. Scripſere olim a dextris verſus ſiniſtram, quod ſoli Hebraeorum libri ſeruarunt ſcripturaeque Etruſcae. Ab eo more declinauere Graeci, ſcriptura inducta, quae boum arantium flexus imitaretur (βȣϛροφηδὸν) vel a dextris ad ſiniſtram, inde rurſus ad dextram, vel a ſiniſtra ad dextram, hinc viciſſim ad ſiniſtram. Illius rationis exemplum eſt in inſcriptione Sigea, alterius in Amyclaea, et in ara apud CAYLVM Comitem *in Collect. Antiqu.* T. I. tab. 20. n. 4 et 5. Denique eum, qui nunc tenet, ordinem ſcribendi induxere, auctore, ſi vere traditum eſt, Pronapide Athenienſi. v. THEODOS. *in Schol. ined.* ad *Dionyſ. Thrac.* ap. FABRIC. *B. G. I.* p. 159. Eum Latini ſecuti ſunt.

9. *Latinae* literae a Pelaſgicis ſiue Ionicis ſunt ortae. Antiquiſſimae exempla formae in lamellis aeneis Tiburtinis, et L. Scipionis Barbati numis (VAILLANT *famil. R. I.* tab. 4, 7. 5, 7. 11.) extant; in baſi porro columnae Duillianae et SCto de Bacchanalibus, denique in reliquiis legum et inſcriptionum aliarum ante Chriſtum natum. E Codicibus autem ſcriptis poſt Chriſti aetatem antiquioribus ſpecimina habent MABIL-

LONIVS, Auctores noui operis diplomatici, BLANCHINVS in Euangeliario et alii.

10. Scriptura autem antiqua tum graeca, tum latina, fuit maiuſculis literis, vel quadratis, vel ad earum ſimilitudinem factis; quam etiam populi barbari latinam linguam docti, modo quiſque ſuo, ſunt imitati. Quae maioris moduli eſſent, *Vnciales* appellatae Latinis, ap. HIERONYMVM *praef. in Iobum:* quamquam ibi CASLEIVS reponi malit *initiales*, quod libri quidam ſcripti in Vallarſiano exemplo habent. LVPVS quidem Ferrarienſis *unciales* commemorat Epiſt. 5.

11. Minutior ſcriptura labentibus demum ſeculis per barbaros inducta putatur; cuius per omnia ſecula inferiora, in graecis MONTEFALCONIVS, in latinis PAPEBROCHIVS et MABILLONIVS, denique Auctores noui operis diplomatici, exempla dedere. Sed antiquiorem eſſe, quam vulgo exiſtiment, et in liturariis vſurpatam, non improbabiliter defendunt ALLATIVS *ad Antiqu. Etr.* p. 44. ſ. in primiſque Auctores noui operis diplom. T. III. p. 252. ſ.

12. Fuit etiam ab initio ſine pronunciandi diſtincteque legendi ſignis, continuatiſque fere ſine interuallo verbis. Nam adſpiratio quidem olim apud Graecos literis H, F et V expreſſa eſt, quae et in linguam latinam venere, poſt apud Graecos in ſigna minutiora ſunt mutata, primum ꟷ et ⊢, quae et in tabulis Heracleenſibus occurrunt: poſt ȷ et ι, vnde ɔ et c denique facta. *Interpunctio* autem, antiquioribus memorata, lectionis fuit et vocis, non ſcripturae. Nec ante ſeculum quartum in libris reperitur; tum quoque inconſtans et vaga: a ſeculo inde ſeptimo perpe-

tua

tua esse coepit. *Accentus* denique scriptos inscitia modulandae vocis, h. e. vel acuendae, vel submittendae, peperit, initio facto, quoad exemplis certis constat, seculo sexto; tum quidem adhuc rarius, vniuerse septimo et octauo in scribendo vsurpati sunt. Caueatur igitur consuetudo sine accentibus scribendi.

13. Atque etiam vinctura literarum recentior est, in Graecis post seculum nonum orta, in vtraque lingua cum vulgata scriptura minutiori ad celeritatem scribendi.

14. Eademque peperit compendiorum scribendi crebriorem vsum. Nam tachygraphicae quidem notae antiquiores, vel singularum literarum, vel figurarum e pluribus literis sine certa lege structarum, excipiendae orationis alienae celeritati seruiuere, nec in libros venere. In monimentis autem, in primisque libris, compendia olim rarius vsurpata et in verbis obuiis, ac sine ambiguitate. Seculis demum serioribus et frequentia esse coepere, et obscura, cum non essent certa et constantia, sed arbitraria et singulis propria; vnde difficultas legendi multa et magna errorum seges orta est. Compendia Graecorum antiqua praeter MONTEFALCONIVM *Palaeogr.* L. V. MAFFEVS et CORSINVS, Latinorum SERTORIVS VRSATVS, propriis libris interpretati sunt: recentiora Latinorum, praeter MABILLONIVM, BARINGIVS *in Clave dipl.* et WALTHERVS *in Lexico Diplomatico.*

15. Sed praeter notas literarum antiquitas Graeca et Latina vsa est etiam figuris, ad exprimenda verba integra factis. Ex eo genere sunt, quae *Tironis* dicuntur, quibus similes Graeci

 habuere

habuere (MONTEFALC. *Palaeograph.* 4, 1.) Sed de Tironianis notis difficilis eſt, necdum expedita ſatis res, in qua ante non ita multos annos CARPENTERIVS (*in Alphab. Tiron. Pariſ.* 1747.) nuper Noui operis Diplom. Auctores elaborauerunt, T. III. p. 564. ſ. Eas vſurpatas eſſe interdum in componendis libris, qui deinde a librariis ſine notis deſcriberentur, itemque in deſcribendis ad vſum priuatum libris, exempla talium librorum in Bibliothecis, vt Sangermanenſi et Mediolanenſi, arguunt.

16. Ex genere notarum ſunt hieroglyphicae ſcripturae Aegyptiorum, quae in eorum monimentis cernuntur, et ab HERODOTO 2, 30. DIODOROque 3, init. memorantur. Earum vſus vtrum in tegendis rebus arcanis, an in rebus memoriae tradendis antiquior ſit, non conſtat inter eruditos iudices, hoc WARBVRTONO *Legat. Moſ.* p. 957. cui adſtipulatur CAYLVS, T. I. p. 69. ſ., illud aliis defendentibus. Hiſtorici vſus exemplum eſt apud DIODORVM L. I. p. 51. eoque pertinere videntur obeliſci.

17. Scripſere in ſaxis, aere, etiam plumbo, ligno, publice maxime ad populi poſteritatisque memoriam, vt in legibus, foederibus, ſimilibusque, tum in foliis arborum, cera, linteo, libro, vt tiliarum, papyracea et membranacea, poſt et bombycina charta: linea ſero, nec ſatis certo tempore, orta eſt: ad eam a bombycina per eam, quae e pannis facta eſt, tranſitus factus videtur.

18. Inſtrumenta ſcribendi, *ſtilus* et *calamus*, vulgo nota: pennarum vſus in ſcribendo veteribus ignotus fuit; nec contra audiendus MONTEFALCONIVS *Palaeogr.* p. 21. *Atramenti* non idem

idem genus fuit; eiusque loco et alii, variique coloris liquores, velut purpureus, caeruleus, aureus, argenteus etc. (v. P. II. c. de Codd.) vſurpati; nec encauſtum ignobile eſt Imperatorum Graecorum. v. ALLATIVS ad *Antiquit. Etruſcas* p. 145. CANEPARII liber de *atramentis*, phyſicis aptior eſt, quam antiquariis rationibus.

CAP. II.

DE MARMORIBVS.

1.

Marmoris ad opera artis commendatio vel ab *duritie*, vel a *pulcritudine* fuit: nam quaedam marmora ab igne liquefiunt, aut in puluerem rediguntur.

2. *Pulcritudo* eſt vel a colore, et eius puritate atque ſplendore, vt candidi in Hymettio, Pentelico, Pario, aliisque; nigri in Laconico, viridis in Caryſtio etc. vel a maculis: in quibus color, figura, ſitus ſpectatur. Antiquior tamen et latior coloris ſimplicis, quam maculoſi, vſus et honos, auctore PLINIO 36, 6. 7.

3. Omnino multiplex vſus marmoris veteribus, HOMERO tamen poſterior fuit. Antiquiſſimus videtur fuiſſe in columnis ad aedificiorum firmitatem, proximus in ſtatuis, poſtremus in cruſtis, in opere vermiculato, ſeu muſiuo, et vaſis. Eſt enim exquiſitioris vel elegantiae, vel luxus.

4. Pulcritudinem vniuerſam adiuuat ars marmorariorum bene ſecando et poliendo: ſed ei etiam ſeruire iuſſa eſt pictura, inuento ſeculi

Claudiani (PLIN. 35, 1.) nec modo vt maculae adderentur, ſed etiam vt teſſerulae marmoris variis coloribus tinctae, aptiores fierent operi muſiuo, ad exprimendos rerum colores. Etiam per cruſtas inſertas addere maculas marmori repertum eſt ſub Nerone, PLIN. l. c. omnia tentante ingenio humano, vt marmora talia faceret, qualia naſci vellet.

5. Etiam ferruminatio marmorum memoratur, peculiari glutine facta e Parii marmoris puluere et taurocolla, λιθοκόλλαν vocauere. DIOSCORID. 5, 164. itemque *circumlitio* marmoreorum operum, apud SENECAM ep. 86. et PLINIVM 35, 11. Inducebant marmor tenuiſſimis coloribus, vel vernice, quibus claritas marmoris excitaretur, et aduerſus puluerem et ſordes defenderetur. Praxiteles quidem circumlitione Niciae ſuis operibus vltimum decus accedere fatebatur.

6. Genera marmorum natalibus diſcernuntur, vel coloribus: nec natalium diſtributio, qua vna vtitur diligentiſſimus in hoc genere CARYOPHILVS ad bene intelligendum ſufficit. Romae gratiſſima Graeca fuiſſe, poetarum ſatirae arguunt, vt HORATII Carm. 2, 1. IVVENALIS 14, 89. ſed inclaruere etiam alia, Aſiatica et Africana, nihil Graecis cedentia. Nam viriditatem Laconici aequabat Caryſtium; et candorem Graeci, vt Pentelici, Tyrium et Lunenſe Italiae etc.

7. In marmorum generibus enarrandis diligentiſſimus veterum eſt PLINIVS, penultimo operis magni libro; ſed quaedam nominat modo, nec diſcernendi notas tradit, denique praetermiſſo

miſſo haud vno genere, HERODOTO aliisque veterum memorato: quae adnumerat diligenter CARYOPHILVS; qui in primis conſulendus. Nam AGRICOLA noſter rem modo leuiter attigit in opere *de Foſſil.* L. I.; et tamen MERCATVS *Metall. Vat.* p. 351. et alii, nihil niſi AGRICOLAM compilauere. add. *Muſeum Richt.* P. III. p. 185. ſed multa tamen genera ſunt obſcura, quaedam raro, aut ſemel modo, commemorata antiquis, quorum nominibus memoriam onerare non eſt neceſſe. Suffecerit ſtudioſis, clariora tenere, quorum hic ſit indiculus ſecundum colores maxime:

8. *Nigri vel ferrei* coloris ſunt *Aethiopicum*, qui et *Baſaltes*, (de quo v. CAYLVS, T. V. p. 11.) *Luculleum* Aegypti, item *Obſidianum* Aethiopiae; *Thebaicum* Aegypti, *Laconicum* alterum ſ. *Taenarium*, *Lydium* alterum. *Candida* ſunt *Alabandicum*, *Coraliticum* Phrygiae, et *Synnadicum* ſ. *Phrygium*, quod tamen purpureis orbiculis diſtinguitur, *Parium* ſ. *Lychnicum*, *Proconneſium*, *Cyzicenum*, *Tyrium*, *Hymettium*, *Pentelicum*, *Lunenſe* Italiae, *Phengites*, qui et pellucet, *Onychites*. *Viridia* ſunt *Laconicum* alterum e Taygeto, *Caryſtium*: *Purpureum* eſt *Porphyreticum* in Aegypto et Arabia, adſperſis punctis candidis; *rubrum*, *Lydium* alterum cum maculis candidis. *Flauum* eſt *Numidicum* punctis, ſeu maculis purpureis. Varii coloris eſt *Chium*, area nigra cum variis maculis, et *Ophites*, a maculis ſerpentium formam habentibus appellationem nactus: in quo genere et e ſuperioribus quaedam poni poſſunt.

CAP.

CAP. III.

DE GEMMIS ET ALIIS LAPIDIBVS NOBILIORIBVS.

1.

Gemmae nomen varie dicitur, modo latius de omni genere lapidum nobiliorum et pretioſorum, modo anguſtius, de inſigniter duris et pellucentibus: Graeci ſimpliciter dicunt λίϑον, quod et latini poetae imitantur. Itaque veteres gemmae nomine appellant, quibus noſtra Germanorum lingua nomen lapidis nobilis non tribuit; vnde et diſſenſus interdum apud veteres, de quo noſter AGRICOLA *de Nat. Foſſil.* VI. init. PLINIVS genera *confeſſae nobilitatis* a ceteris diſtinguit.

2. Omnino veterum in hoc genere vitia plura ſunt, praeter id, quod diximus: primum, quod gemmas non ſatis diſtinguunt characteribus idoneis; vnde eorum deſcriptiones non ſufficiunt interdum ad diſtinguendum et agnoſcendum genus quodque: alterum, quod non ſatis diſtinguunt genera diuerſa: tertium, quod iis ſaepe vim commentitiam tribuunt etiam in medicina: a quibus vitiis nec PLINIVS eſt liber, vt ab eodem notatum eſt AGRICOLA, l. c. p. 301.

3. Diſtributio maxime vſitata gemmarum eſt in *pellucidas*, *ſemipellucidas* et *opacas:* alia eſt a varietate originis et naturae; qua in hac inſtitutione non vtimur: ad rationem noſtram aptiſſima eſt ea, quae a varietate colorum ducitur. Nam colori-

coloribus facile agnoſcuntur genera gemmarum pleraque, ſaltem nobiliora, ac diſcernuntur, ſiue in exemplis ſpectentur, ſiue a veteribus commemorata reperiantur: quamquam genera quaedam non vnius coloris ſunt, vt iaſpides.

4. Pulcerrima et pretioſiſſima genera ſunt, quae vel e ſilice ſunt, vel cruſtarum ſaxoſarum velut radicibus haerent, duriſſima illa, pellucida, et ſplendore puriſſimo nitentia.

5. In his et veterum, et noſtro recentiorum, iudicio primum locum tenet *Adamas*, duritie, nitore, pondere; nomine ipſo ducto, vt videtur, a duritie, vnde et cum ferro communicatur a Graecis; ſiue a ferro nomen gemmae ductum eſt: quippe et vſus verbi in ferro antiquior eſt. Ceterum traditio veterum, nominatim PLINII de adamante (37, 4.) adeo non conuenit adamanti noſtro, propter notarum proditarum diuerſitatem, vt nonnullis plane diuerſus a noſtro videatur. Ea quidem genera adamantum, quae PLINIVS tradit ex India, Arabia, Macedonia, Cypro, Aethiopia et Scythia venire, naſcique in aurariis metallis, nobis ignota ſunt. Ab adamante veteres diſtinguunt *androdamantem*, ſola figura diuerſum: nam quadratus eſt androdamas, ille ſexangulus, vel rotundus. Vſus adamantis primum in ſolis annulis et monilibus fuit, poſt et ad vaſa potoria, et aliam ſupellectilem vel deorum, vel hominum vocauit profuſio.

6. Sub eodem genere coloris ſunt *Cryſtalli*, *Opali* ſ. *Paederotes*, et *Aſteriae*. Cryſtalli ſpecies eſt *Pangonios*, ab angulorum multitudine nomen trahens. Differunt figura. Nam Cryſtallus angulata eſt, ceterae etiam rotundae.

7. *Cry-*

7. *Cryſtallus* a glaciei ſimilitudine nomen accepit, non quod ipſa glacies eſſet, vt veterum quibuſdam viſum eſt. Optima eſt, quae candidiſſima et maxime pellucida, qualis ex Oriente maxime venit. In Occidente laudatur Alpina. Magnitudinis mirae exempla commemorat antiquitas. Liuia quidem in Capitolio dedicauit cryſtallum librarum quinquaginta.

8. Vſus eius fuit maxime in vaſis potoriis, vt poculis, (SVET. Ner. 47.) trullis, (PLIN. 37, 6.) quo pertinere videtur trulla Antiochi regis ex vna gemma, apud CIC. *Verr.* 4, 27. cf. SENECA *de Ira*, 3. 40. tum in annulis et ſcalpturis. Pila cryſtallina exceptis ſolis radiis vri et liquefieri corpora, vetus traditio eſt. v. ARISTOPH. *Nub.* v. 768. et Schol. ad h. l.

9. *Opali* ſunt et ipſi candidi, ſed inclinati mutant et variant colorem, vnde et diuerſicoloribus adnumerantur; in quibus principatum tenent: cuius generis eſt etiam *Aſteria.* Inſani pretii in opalo exemplum eſt ap. PLIN. 37, 6.

10. E *viridi* genere ſunt *ſmaragdi*, *berylli*, *topaſii*, et *praſii*, quorum etiam varias ſpecies faciunt, facili in plerisque diſtinctione e nominibus ipſis, vt in *chryſoberyllo*, *chryſopraſio* etc.

11. *Smaragdo* proximum PLINIVS locum ab adamante tribuit, 37, 5. Optimi generis ſunt denſe et acriter virides ac pellucentes, nec in ſole, aut cum inclinantur, variantes aut minuentes viriditatem. Exempla mirae magnitudinis et olim reperta ſunt, auctore PLINIO, et nunc extant. v. AGRICOLA l. c. et KEYSLERI Iter per Germaniam. Ex eorum genere ſunt *Chalcedonii*,

donii, ab natalibus dicti, f. monte fmaragdite prope Chalcedonem Bithyniae: fed apud veteres in exiguo honore fuere. Vfus multus fmaragdorum in annulis et fcalpturis, aliisque deliciis fuit, per commendationem coloris, propter quem et artifices libenter eos fcalpfere.

12. *Beryllos* oriens mittit, maxime India. Viriditatem maris puri et placidi imitantur, cum funt optimi. Ab hoc colore velut per gradus quosdam deflectunt et pallefcunt: vnde *chryfoberylli*, qui ad flauedinem defcendunt; *chryfoprafi*, qui etiam magis pallent.

13. *Prafiorum* dilutior beryllis viriditas eft, ad fimilitudinem porri, vnde nomen ducitur: funtque adeo in ignobilioribus generibus gemmarum, nec frequentis in ornamentis vfus fuere. Scalpti prafii exempla funt ap. GORLAEVM *in Dactylioth. n.* 40. 44. 79. 80.

14. Nobiliores ac meliores funt *topafii*, etfi et ipfae languentis et pallentis viriditatis; nam plus fulgoris habent ad fimilitudinem auri, magisque pellucent.

15. Proximam a viridibus gratiam habent *caeruleae* et *violaceae* f. *purpureae*. Ex illo genere funt *fapphirus* et *cyanos*, coeli puri colorem imitantes, fed ille ftellati; quippe aureis lucet punctis: ex hoc *amethyftus* (etiam *gemmam Veneris*, *Paederotem* et *Anterotem* vocant) et *hyacinthus*, ille magis ad rubedinem vergens, hic ad flauedinem, fed dilutioris coloris.

16. Rubrae funt *fardae*, vfitatiffimae in annulis fignatoriis; *carneoli* hodie dicuntur a colore: fed varie rubent, nec pellucidae omnes. Eis inter-

interdum ſubiicitur *onyx*, vnguis humani colorem imitans, interdum purum, interdum venis rubris: vnde *ſardonyx* dicitur; qualem fuiſſe tradebant gemmam Polycratis regis, quam Romae oſtendebant, PLIN. 37, 1.

17. Ex ardentibus *carbunculus*, qui et rubet et fulget, ſed varie; vnde plura genera, quorum pulcerrimum *rubinum* vulgo vocant noſtri, Graeci *pyropum*, et *lychnin*, ſ. *lychniten*, et *chryſolithum*: qui nigrius rubent, recentioribus *granati* dicuntur, veteribus *carchedonii*, quod in Garamantis et Naſamonibus reperti Carthaginem deferebantur, inde ad alios populos.

18. Sunt etiam gemmae nigrae pellucentes, quod genus proprio nomine *morion* appellatur. Earum nigerrima ſpecies *pramnium* eſt: putant eſſe ſardas, carbunculos, hyacinthos e craſſiori materia; inde fuſcum colorem duxiſſe.

19. Diuerſicolorum clariſſimae ſunt *iaſpides* et *achatae*. *Iaſpides* imitantur ſmaragdos, ſardas etc. ſed vt vel omnino non, vel non totae, pelluceant, earumque maxime probari PLINIVS tradit *boream*, noſtri *Turcicum* appellant (*türkis*), quod ab Turcis primus regionibus noſtris illatus eſt. Eſt etiam ex iaſpidum genere *molochites*, a colore maluarum, craſſius ſmaragdo virens: ſed hodie ſunt, qui credant eſſe *chryſocollam* natiuam; nam et facticia eſt. *Achatae* ab Siciliae flumine dictae, vbi primum repertae. Sunt colore aut nigro, aut cinereo, aut ſimiles ſardae, curalio etc. vnde et *ſardachatae*, *curallioachatae* etc. Vſus iaſpidis multus in annulis, enſium capulis, fibulis et ſimilibus: achatae in ſcalpturis, propter facilitatem ſcalpendi, fuit. Achatas olim in magno honore

honore fuisse, sua aetate in nullo, PLINIVS tradit 37, 10.

20. Gemmarum vsum ad ornandum antiquissimum fuisse, literae sacrae demonstrant pectorali Aaronis. Apud Graecos antiquissima exempla sunt sardonyx in annulo Polycratis Samii, et achates in annulo Pyrrhi regis, Musas et Apollinem lusu naturae exhibens. Post signando vsurpatae, cum scalpi coepissent. Romae post victorias vltramarinas innotuere, primum non vltra annulos in viris, et delicias mulierum; et magis, vt in ornamentis templorum essent, quam hominum. In poculis, et alia supellectili conuiuiorum et mensae, ornandis vti, Asiatica lautitia fuit, (PLIN. 37, 2.) quae tamen et ipsa Romae sub Caesaribus inualuit.

21. Inter gemmas secundo loco numerat PLINIVS *margaritas:* non quia genus gemmae est, sed quia pretio supra gemmas, praeter adamanta, omnes attollebantur. Solis mulieribus seruiebant: Caii mollities, margaritis calceos ornantis, irrisa est: sed maxime in Deorum ac templorum honoribus vsurpatae, structis inde etiam variis operibus, quae templis inferrentur, vt ibi essent spectaculo. In Actis quidem triumphorum Pompeianorum talia opera, et e margaritis donaria, commemorantur apud PLINIVM, et in Augusto SVETONII, c. 30. coll. nott.

22. Ad gemmarum similitudinem specie et vsu accedunt *succinum*, siue *electrum*, et *lyncurium:* cuius naturam et originem patriamque veteres varie, fabulose etiam, falso omnes, explicant. PLIN. 37, 3. AGRICOLA, l. c. p. 233. Romani coepere natales succini cognoscere, victa Germania,

mania,

mania, recteque tradit PLINIVS. Nec tamen Europaeum modo fuccinum eft; etiam Africani eft apud veteres mentio; quamquam de natalibus diffident: parique obfcuritate Afiaticum laborat.

23. Vfum fuccini in ornatu mulierum apud Germanos et Gallos fuiffe, fatis conftat; ab his didiciffe Latinas mulieres (OVID. *Met.* III. 364. PLIN. 37, 6. extr. TACIT. Germ. c. 45.), isque antiquiffimus mulierum ornatus videtur. Romae in magno honore fuit. Hominis, quamuis parua e fuccino imaguncula, hominum viuorum pretia fuperauit.

24. Proximum eft *curalium*, Graecis *lithodendron*. Eft enim arbufcula, feu planta marina, baccas ferens, fimiles cornis; quae in aqua molles, in aëre ftatim lapidis duritiem ducunt, vnde *Gorgonia* planta ipfa dicitur. Colores variat varietas fuccorum, quos baccae biberunt. A Gallis in ornandis armis vfurpatum effe, veteres tradidere. Sed ad alios quoque populos vfum in ornatu tranfiffe, opera corallina teftantur, a DORVILLIO in Sicilia reperta, (in *Itin. Sic.* p. 56.) et corallioplaftarum artificium. V. BVRMAN. V. C. ad *Doruill. Iter*, T. II. p. 571.

25. Etiam *murrhina* a PLINIO in genere gemmario ponuntur, fed non alio, quam vaforum, in primis potorii generis, in vfu. Genus onychis idem PLINIVS facit, quod in Parthia, in primisque Carmania, nafcatur: nitorem magis tribuit, quam fplendorem: pretium effe in varietate colorum, deinde ab extremitatibus, in quibus repercuffu exiftant, vt in arcu coelefti, colores, denique ab odore. Ex qua defcriptione vix effe poffunt *Porcellana* noftra, vt nonnullis vifum;

visum; quod late oppugnat CHRISTIVS, *de murrhinis*. Iis fauere tamen videtur PROPERTIVS, qui 4, 5, 26. *murrea in Parthis cocta focis* habet, sed hactenus, vt vasa e genere figlino fuisse videantur. v. Interpretes ad SVETON. *Aug.* c. 71. et collecta RADERO ad *Martial.* p. 860.

26. Primus Romam inuexit Pompeius Mithridatico triumpho, sed in templis reposuit. Augustus murrhino poculo vno vsus est e praeda Aegyptiaca: post frequentata sunt etiam priuatis, immensoque pretio emta: trecentis talentis emit trullam Petronius, Nero capidem.

27. In cetero genere lapidum nobiliorum, ad antiquitatis intelligentiam pertinentium, primas tenet *amiantus; corsoides* quoque et *polia* appellatur. Veteres nasci in Cypro tradidere: vt DIOSCORID. 5, 156. Reperitur etiam in septentrionalibus Europae regionibus, in Germania, in primisque Corsica, cuius lanugo est longior, vt et in Alpibus. v. AGRICOLA, l. c. p. 253. in primisque BERGERI *Eclogar. Corsic* Diss. II. p. 49.

28. Vsus fuit in conficiendis chartis, ellychniis, et ad telas funebribus vestibus, et cineribus cadauerum seruandis, denique mensis sternendis: cuius generis telas immenso pretio venisse, PLINIVS tradit, 19, 1. quamquam ibi de asbestino, quod e lino fit, loquitur: sed de amianto accipit AGRICOLA, l. c. dicique linum, quia in fila vt linum ducatur, et lini, quod proprie dicitur, fila igni non resistant; quod et defendit LANCISIVS *in not.* ad MERCATI *Metallothecam Vatic.* p. 158. qui et modum ex amianto chartae et telae conficiendae, et purgandae, tradit. De reliquiis talium telarum, quae in Museis quibus-

dam visuntur, idem consulendus. add. BOLDETTVM *de Coemeteriis Christian.* etc. p. 75. et BERGERVM, l. c. p. 53.

29. In lautitiis vsum habuit etiam *phengites*, et *lapis specularis*: ille pellucens et relucens; quo vsus est Domitianus, ap. SVETON. 14; prior Nero in domo aurea et aede Fortunae, sub quo primum in Cappadocia repertus traditur, propterque duritiem in marmorum numero ponitur a PLINIO, 36, 22: hic, quia translucet, in fenestris vsum habuit. Aluearia, e speculari facta, ad obseruanda apium opera, narrat idem PLINIVS, 21, 14.

CAP. IV.

DE METALLIS.

1.

In operibus et supellectili antiquorum multa metallorum mentio est. Itaque de his quoque cognoscendum est studiosis antiquitatis.

2. Principatum tenet *aurum*, cuius purissimum et optimum genus, *coronarium*, vel *obryzum*, dicitur. Infecti massae *lateres*, e Graeco (πλίνθοι) appellantur. Franci vocant *barres d'or.*

3. Vsus eius in ornatu operum, et hominum, iam Homeri aetate notus inter Graecos fuit: apud ceteros Asiae populos etiam antea: sed antiquior vsus fuit in ornatu hominum et operibus, quam in pecunia signata; frequentior et prior in Oriente, quam in Occidente.

4. Ro-

4. Romanis primus vſus fuit in ornatu mulierum, et ſupellectili ſacra, etiam domeſtica, vt, in thuribulis, denique, quamquam ſerius, in annulis virorum. Poſt, aucta copia, ſignatum eſt, et ad omnia prope migrauit, quae eſſent in vſu vitae elegantioris et lautioris, ad vaſa potoria, ad candelabra, ſoleas, matulas, etc. ad opera varia, vel laminis inducenda, vel linenda, vt, lacunaria, parietes, etiam ſtatuas, etc. Veſtigia ſtatuarum, auro illitarum, nuper reperta ſunt, vt in Veneris Mediceae capillis. De quo genere videndus WINKELMANNVS in *Hiſtoria Artium* p. 207.

5. Coepit etiam duci in fila, et neri ad vſum veſtium, maxime, quibus lecti in conuiuiis ſternerentur, vel acu pingendarum, vel pectine, et radio, ad nodos, et villos, et alia. Veſtium, auro contexendarum, inuentum Attalo tribuitur, vnde *Attalicae* appellatae: ſaltem primus aurum videtur intexuiſſe. PLIN. 8, 48.

6. *Argentum* optimum eſt, quod *puſtulatum*, vel *puſulatum*, a purgatione vocatur in SVETON. v. *Neronis* c. 44. eſtque vel *rude*, vel *factum*, vel *ſignatum*.

7. Ante factum eſt, quam ſignatum, non modo apud Romanos, ſed etiam apud ceteros populos. Sed facti vſus multiplex fuit, in vaſis, in primis ad vſum menſae; in quo genere *puri*, et *caelati*, diſcrimen eſt; ad ſpecula delicatiorum, et ad omne genus ſupellectilis, vt, ad monopodia, lectos tricliniares, etc.; in quo inſanire ſupra modum coepere Romani, poſt Aſiaticas et Graecas victorias: vnde argentum eſcarium, potorium, balneare, viatorium, muliebre etc. memoratur.

8. Sed facta distributio etiam est ab officinis vel artificum, vel vrbium et locorum; vnde *Deliacum*, *Corinthium*, *Clodianum*, *Gratianum*, etc. in eoque manupretium magis, quam materia aestimata est; vnde argentum purum, cuius artifices *vascularii* sunt, contemsit Verres. PLIN. 33, 11.

9. Non minoris multo claritatis, interdum et pretii, fuit *aes* in operibus artificum, in quodam genere etiam maioris. Id primum inuentum in Cypro ferunt, e lapide chalcitide; alibi e Cadmia factum, lapide aeroso: sed Cyprium contemtum est, inuentis melioribus generibus, quae enumerat PLINIVS, 34, 2. a locis, vel dominis metallorum, appellata. Cyprii vsus Romae mansit modo in assibus; sestertii e melioribus facti.

10. Praecipuam dignitatem diu habuit *orichalcum*, (HESIOD. *Scut.* 122.) quippe et auro aequatum, (PLAT. in *Crit.* T. 3. p. 114.): verum non factum arte, sed natum, quod PLINII aetate defecerat, l. c. v. BOCHART. *Hieroz.* P. II. 6, 16. Factitii orichalci, quod nos habemus, etiam veteribus vsus. CIC. *Off.* 3, 23. SVETON. *Vitell.* 6. Sed factitiis aeris generibus superata sunt nata, cum aurum et argentum aeri misceri coepissent.

11. In iis princeps fuit *Corinthium*, siue casu ortum, vt ferunt, siue arte potius. Nam nec credibilis est fortuita mixtura talis; et opera Corinthii aeris antiquiora excidio Corinthi extitere, auctore PLINIO, l. c. Nec eiusdem generis aut coloris fuit, alio ad argenti modum candido, alio fuluo, et aurum imitante.

11. Vſus aeris in omni genere ſupellectilis fuit, vt argenti, at clariſſimus in ſignis, tum fundendis, tum caelandis. Itaque PLINIVS, quo loco de aere tradit, de re ſtatuaria agit.

12. Auri, argenti et aeris haec comparatio fuit: Ratio auri ad argentum plerumque, bonis temporibus, decupla fuit, (POLYB. *Exc. Legat.* 28. POLLVX. 9, 76.): ſed eam interdum vel auxit, vel minuit, auri vel copia, vel raritas: vnde HERODOTVS aurum τρισδεκαστάσιον facit, PLINIVS antiquioribus temporibus quindecuplum. Caeſar autem, copia auri vrbi illata, fecit, vt ſeptem librae argenti cum dimidia, libram auri aequarent, SVETON. *Caeſ.* 54. v. GRON. *Seſtert.* p. 156. et 344. Libra argenti olim Romae mille aſſibus emebatur, poſt, aucto eius pecuniaeque argenteae pretio, mille et ſexcentis. Libra aeris 24. aſſibus aeſtimabatur. cf. ARBVTHNOTII *tabulas antiquorum Numorum* etc. c. 6. p. 37.

13. Nec *plumbi* genus praetermittendum. Nam albi ſ. candidi, Graeci κασσίτερον vocant, mentio apud HOMERVM *in artis operibus* Il. λ'. 25. ψ'. 561. Nigrum eſt, quod nos vulgo in hoc verbo intelligimus. Sed κασσίτερον idem cum ſtanno faciunt, a quo tamen diſtinguit PLINIVS, 34, 16. et melius facit: nam ſtannum, ait, adulterari in plumbum candidum. Candidum plumbum in Britannis reperiri, tradit CAESAR *B. G.* 5, 12.

14. *Stanni* vſus in ſpeculis fuit ante argentea vulgata, in quo genere in primis Romae laudata Brunduſina. PLIN. 34, 17. Sed et in alia ſupellectili vſurpatum, vt plumbum candidum. Etiam in numis plumbum commemoratur, de quibus ſuo loco videbimus.

15. Nigrum plumbum feruit vinciendis lapidibus, ferroque, quod vetus latinitas *plumbare* vocat, v. CATON. *R. R.* 21. aquarum fistulis, etiam fcripturae feruandae in titulis, et aliis monimentis. v. fupra c. 1. §. 17.

16. *Ferrum*, cuius duriffimum genus, et velut nucleus, vt PLINIVS appellat, eft *chalybs*, commendatur colore, fimili violaceo, vnde ἰόεις Graecis, et ἰοειδὴς dicitur, et duritie. Vtrumque bonum accipit ab aquae bonitate, qua fufum tingitur, vt aes. v. quae diximus in *Claue Ciceron.* v. *aqua.*

17. Heroicis temporibus fupellectili variae feruiebat, vnde πολύκμητος σίδηρος, *bene elaboratum ferrum*, faepe apud HOMERVM. PLINIVS etiam in ftatuis vfurpatum effe, tradit. In templorum quidem foribus frequens eius mentio eft.

CAP. V.

DE

VARIA MATERIA OPERVM ANTIQVORVM.

I.

In reliqua operum antiquorum, et deliciarum veterum materia, primus locus debetur *ebori*, in quo interdum ipfa magnitudo infignis cimelium fecit, vt apud CICER. *Verr.* 4, 45. PLIN. 8, 10. vbi v. HARDVINVS.

2. Eius virtus prima eft in candore; vfus nobiliffimus in operibus fculptis, vt fignis; in

quibus in primis laudata eſt eboris materia: memoranturque clara in eo genere artificum, vt, Phidiae, Myrmecidae, aliorumque opera. Sed pariter frequens vſus fuit in ſellis, ſceptris, lacunaribus, lectis, enſibus, frenis equorum, ferculis menſarum, et triumphorum, in codicillis et diptychis, ad quorum vſum ſectum eſt. Eboris caelati ad ornatum vel tecti, vel parietis, in tricliniis, etc. (*bas-relief*) exempla v. ap. CAYLVM T. V. p. 230. Et quia flauedinem ducit ab annis, coepit etiam tingi, in primis purpura et cocco, iam Homericis temporibus. v. *Iliad.* δ. 142. cf. HEINS. ad CLAVDIAN. de *Rapt. Pros.* 1, 274.

3. Altera materia eſt *teſtudinis*, quae, ſecta in laminas, tegendis ad ornatum lectis, abacis, poſtibus forium, adhiberi coepit. PLIN. 9, 13. CLEMENS ALEX. *Paedag.* 2, 3. VIRGIL. *Georg.* 2, 462. Caeſar etiam in ferculis triumphi vſus eſt, apud VELLEIVM, 2, 56. Neronis imperio inuentum eſt pingere teſtudinem, vt imitaretur ligna pretioſiora, PLIN. 16, 43.

4. Lignorum etiam delectus in deliciis veterum fuit. *Acanthi* (arbor Aegyptia eſt), praeſertim candidae, lignum in pulcris numeratum, Caeſaris triumphus Ponticus arguit, in quo fercula ex acantho, ap. VELLEI. l. c.

5. Sed longe clarior *citrus* Africana, ſeu Mauruſia, (PLIN. 13, 15.) in deliciis Romanis fuit, in menſis in primis, in quibus ad inſaniam vſque cupiditas lautiorum hominum flagrauit. TERTVLLIANVS de *Pallio extr.* menſam citream XV.M. HS. a CICERONE, XXX. ab Aſinio, emtam tradit. add. MARTIAL. 14, 89. Sed etiam

 expo-

expoliendis nobilioribus aedium partibus seruiuit. v. FESTVS in *pauimenta poenica.*

6. Ligna alia, quibus in laminas, seu bracteas, vt PLINIVS loquitur, sectis, alia vilior et minus speciosa materia inducta est, fuere *terebinthus*, *aceris* genera, *buxus*, *palma*, *ilex*, *populus*, auctore PLINIO, 16, 43. adde *ebenum* (nigram) ap. LVCAN. 10, 17.

7. *Cedrus* quoque laudatur, in Oriente in structuris, in Occidente in Deorum in primis simulacris vsitata, ob duritiem. VIRGIL. *Aen.* 7, 178; PLIN. 13, 5. vbi Apollo cedrinus in delubro Romano memoratur. Color ligni, mixtus e nigro et aureo, seu medius inter vtrumque, i. e. flauus. OVID. *Amor.* 1, 14, 12.

8. Firmitatis commendationem habuit etiam *cyparissus*, vel *cypressus;* vnde et in signis Deorum vsurpata, (LIV. 27, 37. etc.) et in tabulis legum, quales Solonis fuisse traditum est. Apud HOMERVM in aedibus regiis postes e cupresso, *Odyss.* ρ'. 340.

9. In materia autem vel deliciarum antiquarum, vel operum aliorum, sunt etiam colores: in quibus difficultas est saepe ex ambiguitate verborum Graecorum et Latinorum, confusis interdum inter se vicinorum verbis, vt, in purpura et cocco, in epithetis tum Graecis, *αἴθοψ*, *οἴνοψ*, *κυάνεος*, et Latinis, vt, viridis, caeruleus, niger, etc. Sed genera ipsa colorum, qua constant materia, ad vsus picturae, enarrat et persequitur PLINIVS, 35, 5. 6.

PARTIS

PARTIS II

CAP. I.

DE LIBRIS SCRIPTIS.

1.

Antiquiſſimi, quorum memoria extet, libri ſunt gentis Iſraëliticae, nec antiquior Moſaico vel eſt vſpiam, vel fide certa apud veteres commemoratur. Formam autem antiquiſſimam eſſe, quae proprie volumen dicitur, Pſalmorum Dauidicorum teſtimonio conſtat (40, 8.) et eius formae perpetua in ſacris Iudaeorum libris conſeruatione. Etiam Graecis ab initio formam eam vſitatam fuiſſe, auctores idonei tradidere. De Latinis ipſum *voluminis* verbum indicio eſt, cum variis inde ductis formis loquendi.

2. Plagulae, vel ſegmenta plura, vel chartae, vel membranae conſeruntur, totumque contextum voluitur circa cylindrum, cui altera eius extremitas commiſſa eſt. In contexendis plagulis permutationes interdum factas, et hinc tranſpoſitiones ſcripturae, coniicere liceret, ſi certum eſſet, in ſingulis plagulis ſcripſerint, an in conſertis, et toto plagularum contexto. In linteis libris tali conſertione opus fuiſſe non videtur. Vnum cylindrum fuiſſe, non duos, indicant teſtimonia veterum, ſemper ſingulari numero vtentium, et ipſae figurae voluminum antiquae, in monimentis repertae. Cylindri extremi habent *vmbilicos*, i. e. capita in vmbilicorum

rum formam; quae et *cornua* vocant. *Vmbilici picti* sunt ap. MARTIALEM I, 67.

3. Quadratorum librorum inuentum Attalo tribuentium opinio vt valeat; tamen id inuentum non mouit loco et vsu volumina. Nam et in posterioris aetatis monimentis species voluminum, per pluteos digestorum, reperta est, vt, in Nouiomagensi ap. BROWERVM, *Annal. Trev.* p. 105. nisi ea tabularii potius, quam bibliothecae, species est: et voluminum exempla ipsa ex Herculanensibus recessibus prolata sunt.

4. Sed quadratos libros faciendi consilium siue Attalo, siue alii cuicunque, iniecit chartae vel caritas, vel parsimonia, dum in aduersa et auersa parte chartas conscribere volunt, in membranis nominatim, postquam vtramque partem ita mundare didicerant, vt pariter apta esset scripturae capiendae. V. ALLATIVS ad *Antiqu. Etr.* p. 113. VOSS. ad *Catull.* p. 50.

5. Etsi autem chartae membranaceae inuentum Attalo antiquius credatur, antiquior tamen Niloticae vsus videtur. Itaque antiquissimi libri papyracei fuere; mansitque vsus papyri in libris scribendis ad nonum vsque seculum, vt demonstrat MABILLONIVS, *Diplom.* I, 8. Extant etiamnum Codices quidam e charta tali, quos enumerant *Auctores Noui Operis Diplom.* T. I. p. 496.

6 Codices cerati vsibus priuatis, vt, rationum, seruiuere, vt formandarum orationum, carminum, etc. In publicum proditura ingeniorum monimenta papyro, vel membranis, commendata sunt. Exempla tabularum ceratarum, siue

siue Codicum ceratorum, nunc quoque in Bibliothecis quibusdam visuntur. Sed eae mediae aetatis reliquiae sunt. Vidimus ipsi exemplum in bibliotheca scholae Portensis.

7. Ornatus librorum communis fuit in titulis, literis primis, minio, auro, etc. linendis, chartis leuigandis, etiam cedro imbuendis aduersus cariem: proprius quadratis et membranaceis, purpura inficiendis chartis, scripturaque maiori et nitidiori; quae pictura verius, quam scriptura, appelletur; etiam aureis, vel argenteis literis. v. VOSS. ad *Catull.* l. c. MONTEFALCONIVS *Palaeogr.* 3, 5. Exempla Codicum purpuratorum, et literis aureis argenteisue scriptorum enumerat BREITINGERVS V. C. de *Psalterio Gr. Turicensi*, p. 8. quod et ipsum purpura tinctas membranas habet, et scripturam auream, et argenteam. Exstant SCHWARTZII eruditae de *Ornamentis librorum* Disputationes.

8. Ad vsum magis, quam ad ornatum, pertinent imagines rerum in perantiquis Codicibus Graecis obuiae, vt, *Dioscoridis*, *Hesiodi*, etc. Sed raro in iis aut diligentia iusta, aut elegantia cernitur. v. MONTEFALC. p. 7. sq.

9. In Hebraicis sacrorum librorum Codicibus antiquitas magis ante iactata, aut temere credita, quam probata est. Meliores adhuc Hispanici fuere, qui reperiuntur locis in iis Orientis, quo expulsi Hispania Iudaei abierunt. Hodie studium hominum vndique eruendi Hebraicos libros spem facit reperiundae scripturae antiquioris exempla, ante secure ignorata. Scripturae antiquioris discrimen a recentiore facit minus quaesita literarum elegantia: sed sunt et alia signa,

ſigna, de quibus hic dici non eſt neceſſe. v. SIMON. *Hiſt. Crit.* T. I. L. I. c. 21. ſ. Auctores *Noui Op. dipl.* T. II. p. 385. ſ.

10. In Graecis et Latinis copia exemplarium diſcrimen facilius reddidit; quod iudicium tamen interdum cupiditas hominum impedit, vel ſua nimis admirantium, vel ſuae cuidam opinioni, per antiquitatem librorum defendendae, nimis fauentium. Antiquiſſimum Codicem Graecum, et ſeculo ſecundo ſcriptum, credidere multi Codicem Bibliorum Vaticanae Bibliothecae; nec multo iuniorem eum, quem Alexandrinum appellamus: quorum neutrum hodie periti credunt. Sunt tamen antiquiſſimi.

11. Antiquiſſimi autem e Graecis ſunt, qui literas maiores quadratas, vel rotundas habent, ſine notis, lectionem iuuantibus, nec inter ſe nexas, vt ii, quos ante commemorauimus, Codex Colbertinus, in quo eſt verſionis V. T. Graecae fragmentum, Dioſcoridis Vindobonenſis, et alii. Sed vt ſeptimo ſeculo antiquiores iudicare facile, ſic certae aetati adſignare, haud in promtu eſt e ſola ſcriptura. In deteriori ſcriptura minus impedita res eſt: eoque proſunt ſcripturarum antiquarum ſpecimina, de quibus ſupra diximus.

12. Atque etiam in iis, qui antiquae ſcripturae formam habent, ambiguitas quaedam eſt ex eo, quod quidam, feris etiam temporibus, ſcripti ſunt cum imitatione veteris ſcripturae, primum in Italia a Langobardis, deinde a Britannis, forte etiam Francis, poſt illata iis terris literarum Graecarum ſtudia. De Codicibus quidem biblicis Graeco-Latinis res eſt in prom-

promtu, ſuntque reperti in Francia et Britannia.

13. Latini antiquiſſimi ſunt, qui ad ſcripturam maiorem, quam in antiquis tabulis Legum, SCtorum, in titulis, numisque videmus, accedunt proxime. In quo genere tamen et ipſo interdum imitatio antiquitatis fallit: quippe et ab imperitis doctrinae Codices antiqui repetiti ſunt, non tam ſcribendis ſuo modo, quam pingendis, vt eſt apud GERSONEM de *Scriptoribus*; quorum vltimam claſſem facit eam, quam diximus. Sed id, vt opinamur, non minuit pretium librorum, ſiue auctoritatem; quia ſunt tamen imitationes, et velut picturae veterrimorum Codicum, forte diligentiores iis, qui ab intelligentibus deſcripti ſunt.

14. Ceterum e ſeculis, a Chriſto nato prioribus, Codex ſcriptus extat nullus; ſuntque antiquiſſimi fere Gothicae, aut Langobardicae, aut Carolingicae aetatis. Nec mirum eſt, veterrima exempla periiſſe in tam frequentibus barbarorum irruptionibus, tot incendiis, etiam ſuperſtitione ad extremum ea, quae libros veteres, vt profanos et religioni noxios, damnabat: qua *Gregorium M.* incenſum multos Latinos libros veteres deleuiſſe ap. IOANNEM SARISBER. *Policrat.* 8, 19. traditum eſt; de qua re nuper controuerſia exorta eſt: v. BRVKERI V. Cel. *Supplementa ad Hiſt. philoſ.* p. 636. ſqq. quae mala ſunt omnia libris Graecis communia.

15. Sed aut par, aut maior pernicies illata eſt libris antiquioribus ab inſcitia, delente veterem ſcripturam, vt reponeret nouam: qui *Codices reſcripti* dicuntur. Ea non modo in libros gentilium,

lium, ſed etiam ſacros ſaeuiit; vnde et Canones, ei coërcendae ſcripti, vt *Quiniſextae* 68. ad quem v. *Balſamo* et *Zonaras:* fruſtra: reperiunturque etiamnum reſcripti libri plures in bibliothecis, quos diligentia eruditorum quorundam commode deprehendit, vt, Codex *Ephremi* Syri in Pariſina, deprehenſus ab ALLIXIO, v. WETSTENII *Proleg. ad N. T.* T. I. p. 29. vt ISIDORI *Etymologicum in Guelferbytana*, de quo et aliis v. Cl. KNITTELIVM ad *Fragm. Vlphilae*, p. 207. adde MONTEFALC. *Palaeogr.* p. 318. 19. Auct. *operis noui Diplom.* T. 4. p. 458.

16. Ad iudicandam autem aetatem Codicum etſi maxime valet vſus in his, qui Codices multos non modo leuiter ſpectauere, ſed etiam curioſius tractauere: tamen etiam prodeſt, quae ſcriptura cuiusque aetatis fuerit ac gentis ſcire, et inſpiciendis ſpeciminibus Codicum cognoſcere, praeſertim eorum, de quorum aetate ſatis conſtet. In quo cautio eſt, ne quodque ſcripturae genus definitis veluti vnius cuiusdam ſeculi terminis adſtringamus. Interdum citius, interdum tardius, ſcripturae forma mutatur: et vulgaris formae imitatio non ita rata fuit, et quaſi lege imperata librariis, vt religioſum eſſet, ſcripturae melius genus vel diſcere, vel, vbi didiceris, vſurpare. Nec ſola ſcripturae forma niti oportet, ſed in ipſis Codicibus, in calce, in marginibus quaerere, ſi quid ſit, quod ad aetatis indicium valere poſſit; qualia ſaepe ſunt in libris ſcriptis reperta.

17. Etiam recentioribus temporibus, inuenta typographia, Codices plures periere, cum, exſcripti typographorum formis, negligerentur,

et pro inutilibus abiicerentur, vel etiam manibus operarum ita essent vitiati, vt contemnerentur, cum non ex apographo, sed ipso codice, textus ab operis sumeretur. Itaque frustra plures hodie Codices in bibliothecis requiruntur, e quibus libri veteres primum expressi typis sunt, vt, Codex Moguntinus *Liuii*, e quo Schefferiana fluxit, vt, *Quintiliani*, et alii e Gallensi bibliotheca; nisi quidam adhuc ibi latent, sed vulgo ignorati, dum negligunt bona sua populares, vt fit plerisque in locis.

18. Enimuero iisdem temporibus multi libri, etiam qui iam editi essent per typographos, etiam ex ipsis typographicis exemplis, descripti sunt, vel ad vsus singulorum, quibus potestas aliorum exemplorum non erat, vt factum est in scholis, vel ad quaestum: qualium scribarum quaestuosa societas Florentiae, atque aliis locis fuit. Huius generis multa exempla sunt in Bibliothecis, quae etiam pro veteribus vel iactantur, vel probantur ab imperitis, quando sua interesse vident. In hoc genere Codicem Rauianum Berolini posuerim cum CROZIO.

19. Notitia Codicum adhuc ex antiquitate reliquorum, peti debet e Catalogis Bibliothecarum, praesertim iis, in quibus diligentius describuntur; qui sunt valde pauci: nam quam in vsus primum suos congessit, deinde edidit MONTEFALCONIVS Bibliothecam manuscriptorum Tomis duobus, ea nihil nisi nomina librorum habet; tum ex operibus eorum, qui inedita e manuscriptis codicibus edidere, vt, CANISII, BALVZII, LABBEI, et multi alii, item e praefationibus eorum, qui veteres scriptores grae-

 eos,

cos, aut latinos, aut ſcripta Patrum graecorum, latinorumue edidere, de eorumque Codicibus ſcriptis diſſeruere: a quo genere maior diligentia ſolet et in inſpiciendo, et in deſcribendo adhiberi.

20. Vtilitas inſpiciendorum Codicum ſcriptorum multiplex eſt. Primus cernitur in librorum, iam editorum, vel corrigenda et emendanda vitioſa lectione, vel vera firmanda et vindicanda, cuius vſus pleni ſunt commentarii Criticorum in ſcriptores veteres, graecos et latinos; nec is habet dubitationem. In quo genere non modo noui, i. e. nondum collati Codices excutiendi ſunt, ſed etiam ab aliis iam inſpecti, vel illi ipſi, a quibus primum ſumta ſunt exempla edita. Nam in illis initiis literarum inſtauratarum nondum ea diligentia in conferendis libris erat, quae nunc requiritur, et in edendo plus ſibi libertatis ſumebant.

21. Huic proximus eſt, vel in explendis lacunis, vel deprehendendis, atque inde reſecandis, ſpuriis emblematis, itemque in luxatis ſanandis, cum ea, quae loco ſuo mota ſunt transpoſitione fortuita, in ſuam ſedem reponuntur: cuius generis medicinae ſaepe per libros ſcriptos feliciter adhibitae ſunt, vt ſingulos ſcriptorum veterum, tum gentilium, tum chriſtianorum, editores mittamus, a CANISIO, LABBEO, et aliis, a LEIBNITIO in DITMARI *Chronico*, et aliis.

22. Nec ille paruus vſus eſt, aut contemnendus, qui eſt in auctoribus librorum veris, fictisque cognoſcendis: in quo genere ſaepe libris eccleſiaſticis vel falſus auctor ademtus, vel verus redditus eſt, vt e commentariis CAVEI, PAGII, OUDINI, et aliorum patet. Nec vero alia ſatis certa

certa eſt, aut ſaltem certior, cognoſcendorum auctorum ratio. Quae coniecturis rerum vtitur, facilius, qui non ſit auctor, quam qui ſit, repererit.

23. Omninoque tractare libros veteres, plurimum prodeſt ad obſeruationes criticas de modis et cauſſis corrumpendi, interpolandi, omittendi, transponendi, *etc.* vel colligendas, vel firmandas, et illuſtrandas. v. in praefatione noſtra ad TACITVM de Codice Guelferbytano, ad CALLIMACHVM, etc. Et diſcuntur illae haud paullo melius, et ad vſum aptius hoc modo, quam e ieiunis ſcholae praeceptis.

24. Ille vero haud inficiandus vſus eſt, quod Codicibus tractandis libri nondum editi reperiri poſſunt, et reperti ſunt ſat multi, quibus edendis doctrinae et literis ſaepe conſultum eſt per eos, quos ſupra commemorauimus, et alios; etſi non ſemper delectus in edendo adhibitus eſt, qui debebat. Et latent profecto adhuc multa in Bibliothecis, praeſertim Eccleſiarum maiorum in Germania, et aliis locis, quae cum fructu edi poſſent, ſi modo eſſent, qui quaerere, inſpicere, atque edere vellent.

CAP. II.

DE TITVLIS, TABVLIS LEGVM, DECRETORVM, ET SIMILIBVS, VULGO INSCRIPTIONIBVS.

1.

Praeter librorum scriptorum Codices extant et alia multa monimenta antiquitatis literata, multa Codicibus omnibus haud paullo antiquiora, quae *Inscriptionum* nomine complecti solemus; in quibus conquirendis et inspiciendis cum semper diligentes fuerint studiosi literarum et doctrinae, vt vel e veteribus Historicis, inde ab HERODOTO, etiam Oratoribus, et Grammaticis, discimus; instauratis quoque literis, initio facto ab CYRIACO Anconitano, et IOCVNDO Veronensi, ad hoc vsque tempus in iis eruendis, colligendis in certum corpus, proferendisque in lucem, a multis laboratum est, et nunc quoque laboratur. v. PETR. BVRMANNI praef. ad *Gruteri* Thesaurum, et HESSELIVM in praef. ad *Gudii* Inscr. p. 13. 14. f. et in *Append.* praef.

2. Atque vt mittamus eos, qui tantum obiter scriptis suis ex hoc genere aliquid adspersere, e Philologis, Criticis, Historicis, vt, FABRICII, VICTORII, PIGHII, BARONII, et sexcenti alii: colligendi et separatim edendi initium factum

factum est in Germania ab duobus, PEVTINGERO, a. 1505. et HVTTICHIO, 1520, secutis Romae MAZOCHIO, 1521. in Germania APIANO et AMANTIO, Ingolstadii 1534. sed longe superatis omnibus a SMETIO, cuius collectionem edidit LIPSIVS, Lugd. Bat. 1588. f.

3. Verum et *Lipsium* longe post se reliquit IANVS GRVTERVS, *Ios. Scaligeri* et *Marci Velseri* auspiciis collecto iusto Corpore, et ap. *Commel.* 1603. edito, cum Indicibus a SCALIGERO immenso labore, sed ad vsum aptissime, digestis; ad quorum formam prope omnes, qui secuti sunt, suos digessere. Id opus, GVDII cura multis locis emendatum, cum notulisque pluribus recusum est a. 1707. sed prioris editionis exemplis diligentior correctio contigit.

4. Qui post GRVTERVM idem egere, eorum duo genera sunt: in primo sunt, qui intelligendi et interpretandi auctores esse voluere, editis cum commentario, aut notis, Inscriptionibus delectis e vario genere; vt REINESIVS, *Lips.* 1682. SPONIVS, in *Miscell. Antiqu. Lugd.* 1685. FABRETTVS, *Rom.* 1699. Compendium huius generis tironibus seruiens est in Sylloge FLEETWOODI, *Lond.* 1691. 8.

5. Alterum genus velut Supplementa Gruteriano operi scripsit, colligendis et edendis aut nouis, aut accuratius descriptis. Talia sunt *Doniana*, ab GORIO edita, *Gudiana* per HESSELIVM, MARMORA OXONIENSIA, nuper auctius splendidiusque post PRIDEAVSIVM et METARIVM edita, NORISII *Pisana*, CHISHVLLI *Asiatica*, GORII *Etrusca*, *Pisaurensia* OLIVIERII, *Veronensia*, *Taurinensia* Marmora

P. II. *Palmyrena*, *Pocokiana*, tum in Itinerario, tum Volumine proprio edita, *Marmor Sanduicense* TAYLORI, et *Atticum* RICARDI, *Heracleensia* per MAZOCHIVM, etc. quo pertinent et alia in operibus antiquariis, vt, BOLDETTI *Coemeteriis*, DORVILLII *Itinere Siculo*, Comitis CAYLI *Collectione Antiqu.* etc. itemque *Diptycha*, vt, Leodiense WILTHEMII, Diuionense, Brixianum, Turicense, et alia, ab aliis edita et illustrata.

6. Ita aucta dudum prope in immensum supellectili hac erudita, nouum Corpus, Gruteriano instituto, vniuersarum moliri coepit SCIPIO MAFFEVS, edita etiam operis descriptione: (v. ad calcem *Sigl. Gr.*) sed, siue victus labore immenso, et desperans consilii exitum, siue morte praeuentus, destituit spem studiosorum. Succedere voluit operi MVRATORIVS; sed, consilio abiecto, edidit tamen Inscriptionum volumina quatuor, *Mediol.* 1739 — 42. velut supplementum collectionum superiorum: qui etsi censuras multas multorum, in primis HAGENBVCHII et SAXII, incurrit; bene tamen de hoc genere meruit, multis ante non editis inserendis, praesertim in Classe Consulari, ex qua Fasti Consulares sub Caesaribus luculenter vel emendari, vel locupletari possunt, et Legum, SCtorum, etc. Huius operis supplementa dare coepit SEB. DONATVS, *Lucae* 1764. f. cuius praefatio adeunda.

7. Antiquissimas omnium, quae quidem repertae sint, habemus inscriptiones, in insulae Cypri vrbe, Cittio, repertas, Phoeniciis literis; quae spectantur Oxonii in Museo, editae nuper etiam

etiam in *Marmoribus Oxonienſibus*, et in SWINTONI Diſſ. de *Inſcriptionibus Cittieis*, *Oxon.* 1750. 4. ſed cui ſuper earum interpretatione non conuenit cum BARTHOLOMAEO, V.C. Francogallo. De iis, quas in Arabiae deſertis, in primis in monte Sina, ſaxis inciſas iam antiquus auctor, COSMAS *Topogr. Chriſt. V. p.* 205. itemque alii auctores ſuperioris ſeculi tradidere, res incerta videbatur MAFFEO *Crit. Lap. I. p.* 9. certior facta eſt per POCOKIVM, qui titulos, magno numero inde deſcriptos, dedit, partim Aegyptiaca, partim Arabica ſcriptura, vtraque etiam in nonnullis mixta, *Itiner. T. I. p.* 148. ſuper quibus admonentem nonnulla vide CAYLVM, *Coll. Ant. T. I. p.* 73. De earum aetate et argumento nihil adhuc certi eſt.

8. Inter Graecas veterrimae ſunt *Amyclaea*, a FVRMONTIO reperta (*Nouum opus diplom. T. I. p.* 616.); *Sigea* in *Antiquitatibus Aſiaticis*, a CHISHVLLO edita, et aliae eiusdem POCOKII, aliorumque Britannorum, *Heracleenſes* denique MAZOCHII.

9. Inter Latinas vetuſtiſſimae ſunt in vaſe aeneo ap. WINKELM. *Hiſt. art.* p. 292. in *lamellis Tiburtinis* ap. FABRETT. p. 461. in baſi columnae Duillianae, SCtum de Bacchanalibus, quod commentario illuſtrauit MATTH. AEGYPTIVS etc.

10. Optimae porro et vtiliſſimae ſunt, quae Leges, SCta, et Decreta Ciuitatum et Regum, Foedera, magnarumque rerum aliarum memoriam ſeruant, vt, Faſti Capitolini, Monimentum Ancyranum, et quaecunque Hiſtoriae, Geographiae, Chronologiae proſunt.

11. Vsus inscriptionum in omni prope parte doctrinae liberalis est permagnus et multiplex, atque, vt GVDIO placuit, prope maior, quam numorum veterum; quippe et maior varietas est; in Grammaticis et omni Philologia antiqua, in Critica omni, in Geographia, Chronologia, et Historia vniuersa, tum sacra, tum cetera, in ritibus moribusque antiquis; quibus omnibus etiam permultum lucis e talibus titulis est affusum.

12. Et permultae hoc prosunt magis, quod, quia publica sunt monimenta, certa rerum argumenta praebent. Itaque videmus etiam historicos veteres, iis vt praecipuis et haud dubiis testimoniis vti, et ad lites dirimendas conferre: vt docuimus in Disputatione nostra *de Fide historicorum aestimanda* §. 18. sqq. In quo eos recentiorum ita quisque est secutus maxime, vt de talibus rebus iudicare potuit optime. Exempla eius generis, e scriptoribus antiquis ad Historiae vsque Augustae scriptores collecta, reperiuntur apud MAFFEVM operis postumi, mox commemorandi, libro secundo.

13. Sed duplici cautione opus est, prima, vt genuinae sint, deinde, vt accurate, et a peritis talium rerum descriptae. Et est saepe in illo difficile iudicium, nec minus difficilis rectus vsus. Quo magis optabile est, vt Critica lapidaria prodeat a viro docto promissa. Nam a MAFFEO promissa, imperfecta relicta est; cuius tamen particulae nuper a DONATO, in opere supra laudato, editae, multum boni habent, non modo, quia traduntur leges recte iudicandi, sed multo magis, quia examinandis inscriptionibus pluri-

pluribus, praebent materiam exercendi in eo genere iudicii, et ad vſum viam muniunt, *libri quarti capite ſecundo et tertio.* Nec minus vtilem literis rem faciat, ſi quis ſcribat opus, quale GVDIVS meditabatur, de vſu inſcriptionum, ſimile Spanhemiano de vſu numorum.

14. Sed ad eas, quas antea §. 16. commemorauimus, vtilitates, opus eſt primum, inſcriptiones vt bene legere poſſis: deinde, vt intelligere: denique, vt quid, quoue modo inde diſci poſſit, ſcias. In primo proderunt in primis de notis libri, quos ſupra indicauimus, P. I. c. 1. §. 14. nam quae in literarum figuris eſſe difficultas poteſt, vt in Graecis, breui vſu tollitur: alterum requirit notitiam aliquam antiquitatis Graecae et Romanae in honoribus, ſacris, ciuilibus et militaribus, in moribus, publicis in primis. In vtroque genere proderit, delegiſſe ſibi aliquem ducem ex iis, qui in explicandis titulis laborarunt, vt, REINESIVM, in primisque FABRETTVM, eiusque opere legendo vtriusque rei facultatem ſibi comparare: tironibus etiam FLEETWOODI Sylloge ſuffecerit. Proderit etiam legiſſe, quae MAFFEVS, de quo paullo ante commemorauimus, operis imperfecti libro vltimo, c. 1. paſſim praecepit.

15. In tertia ratione etſi non opus eſt praeceptis apud eum, qui ingenio et doctrina valet; tamen vtile admodum eſt, in legendis virorum doctorum ad auctores veteres Graecos et Latinos commentariis, in libris geographicis, grammaticis, vt, de orthographia, in libris hiſtoricis et criticis virorum doctorum, vt, SCALIGERI, CASAVBONI, PERIZONII, TILLEMONTII,

 PAGII,

PAGII, obferuaffe, quomodo titulis antiquis ad rem quamque vfi fint: tironibus e. c. commendem P. WESSELINGII libellum ad Infcriptionem in Corpore Muratoriano editam, in qua P. Sulpicii Quirini, et Cenfus Syriaci mentio eft. *Vltrai.* 1745. Ita paullatim et ftudium, et facultas imitandi veniet. Difputationes fuper difficilioribus rebus et quaeftionibus, vel ad maturitatem in hoc genere maiorem feponendae funt, vt in omni alio genere antiquitatis: et feponentur hoc fecurius, quo rarius vtilitatem parem labori habent: vel relinquendae iis, qui non modo, vt doctrinae adiumentum, hoc genus antiquitatis affumere, fed in eo habitare volent.

CAP. III.

DE DIPLOMATIBVS.

I.

D*iplomata* proprie funt chartae complicatae, vel *tabellae duplices*, vulgo *Codicilli* (MACROB. *Sat.* 1, 23.), fed vfus fecit, vt de tabellis dicerentur maxime, quae itineris (publico in primis curfu) faciendi facultatem darent (CIC. *Div.* 6, 12. v. *Clav. Cic.* CASAVB. ad SVET. *Aug.* 50.). Poft translata funt ad literas Principum, Pontificum, etc. figillo fancitas, in primis, per quas aliquid iuris vel beneficii daretur; ad extremum, de omnibus prope literis publicis dici coepere, praefertim in arte, vt a MAFFEO. Nos eam rationem verbi vfurpandi fequimur, quae de literis publicis Principum, Pontificum, Epifcoporum,

porum, etc. accipit. v. Auctores *Noui Operis Diplom. T.* I. *p.* 233. f.

2. Ea cum fint in fontibus et inftrumentis hiftoriae certae, iurisque publici, viri docti, vtriusque difciplinae ftudiofi, in iis conquirendis cum omni tempore, tum noftra in primis aetate, laborauerunt: extantque Collectiones Diplomatum prope innumerabiles, quas longo ordine recenfet BARINGIVS, in *Claue Diplom.* p. 36. ne horum quidem praetermiffis, qui feparatim quidem Diplomata non edidere, ceterum opera fua hiftorica iis referfere, vt BARONIVS, RAYNALDVS, BOLLANDISTAE, BROWERVS, SCHATENIVS, FREHERVS, et alii fecere. Ad faciliorem eorum vfum comparata funt PETRI GEORGISCH *Regefta Chronologico-Diplomatica, Francof.* 1740. *Voll.* 4.

3. Sed modus diplomatum tractandorum, h. e. iudicandorum et vfurpandorum, olim non praeceptis et arte conftabat, fed obferuatione et vfu; quo frequentior etiam fraus interceffit: donec ab duobus viris doctis initium factum eft, certas obferuationes colligendi, et canones fcribendi, quibus iudicium diplomatum dirigeretur, altero Graeco, LEONE ALLATIO, in *Animaduerf. ad Antiquit. Etrufcas, Paris.* 1640. quamquam id opufculum ad vniuerfam librorum veterum, i. e. Mfftorum, crifin pertinet; altero Germano, HERM. CONRINGIO, in *Cenfura Diplom. Lindav. Helmft.* 1672. et in *Oper. T.* II. *p.* 567. fqq.

4. Ab his initiis profectus magis ad artis formam de Critica diplomatica fcribere inftituit DAN. PAPEBROCHIVS, in nobili *Propylaeo anti-*

antiquario, P. I. ad T. II. *Apr.* in *Act. S.* Qua re locum famofae controuerfiae diplomaticae fecit, fiue Scepticifmo diplomatico; perfecti efficere nihil potuit, propter inopiam exemplorum (v. *praef. Propyl.*), philofophia quadam potius vfus, quam certis et fufficientibus rei vniuerfae obferuationibus; quae in tali genere dominantur.

5. Succeffit maiori cum apparatu IO. MABILLONIVS, edito *Parifiis* a. 1681. opere *de Re Diplom.* libris fex, cuius etiam *Supplementa* edidit, a. 1704. Repetitum et auctius editum eft praeclarum opus *Parifiis* 1709. Nec modo obferuationibus diligentibus de omni Diplomatum materia et forma, rem agit, fed etiam fidem diplomatum vniuerfam afferit.

6. Nec aequauit hunc, nec fpem doctorum, SCIPIO MAFFEVS, edita bis 1727. 1734. Italico fermone, *Hiftoria Diplomatica;* quam voluit effe Inftitutionem Criticae Diplomaticae. Nam hiftorica magis et philologica tractat, velut de papyro late, et antiquiora Seculo diplomatico, quod a feculo fere octauo ducitur; finit in enumerandis iis, qui diplomata vel collegere, vel ad hiftoriam illuminandam contulere.

7. Perfectius quid promifere, atque etiam dedere, duo Monachi Benedictini in opere magno, *Nouveau Traité Diplomatique*, Tomis fex ab a. 1751. ad a. 1765. 4. edito *Parifiis:* de quo late a nobis dictum eft in *Biblioth. Theolog.* a. 1766. et fequ. Summam operis faciunt, principia artis diplomaticae examinare; ita vocant capita de literis, forma fcribendi, compendiis fcripturae, figillis, et fimilibus: regulas difcernendo-

nendorum diplomatum constituere: denique characteres diplomatum seculi cuiusque demonstrare. Estque opus praeclarum, et plenum bonis rebus, praesertim, quae ductae sunt e manuscriptis libris et bibliothecis: ceterum, vltra fines operis nimis late euagantur, veluti, cum omnem antiquitatem literarum et scripturae Hebraicae, Graecae, Latinae illustrandam sibi sumunt: et in fine super arte iudicandae fidei diplomaticae subtilius disputatur, quam aut necesse erat, aut materia subiecta patitur.

7. Rem diplomaticam Germaniae proprie tractare et illustrare instituit *Chronici Gotuicensis*, eruditissimi operis, auctor, a. 1732 editi, quae est Tomi prodromi Pars I. et II. Volumen alterum ad prelum paratum esse in Bibliotheca Monasterii Gotuicensis, nuper testatus est Abbas S. Blasii GERBERTVS, in *Epistolis* p. 426. Eam rem ad vsum studiosorum aptius et plenius egit IO. HEVMANNVS in Commentariis de Diplom. Impp. et Regum, item Augustarum et Reginarum Germaniae, *Norib.* 1745. 49. 4. Tironibus profuerit CHRIST. HENR. EKHARDI Introductio in rem Diplom. praecipue Germaniae. *Ienae* 1742. et 1753. 8.

8. Historiam rei diplomaticae qui plenius cognoscere velit, adeat *Baringium*, in Claue Dipl. et Cl. *Gattererum*, in instituto Opere Diplomaticae vniuersalis, cuius vna modo pars prodiit Gottingae a. 1765. quamquam *Allatium* omittit, vt opinor, quod proprie de diplomatibus non egit, et deos minorum gentium persequitur.

9. Diplomatum qui et quantus vsus sit, ante indicauimus, et late disputatur a multis, vt in primis

mis a LEIBNITIO, in praeclara *Codicis Iuris Nat. et Gentium praefatione* vtraque, et Auctoribus *Noui Operis diplomat.* in praefatione.

10. Sed vt eam vtilitatem capere possis e diplomatis, quae iis tribuitur, recte vti scias oportet. In quo primum est, *recte legere*, alterum, *recte intelligere*, tertium, *genuina a spuriis discernere:* possis addere quartum, ex intellectis obseruationes colligere, conclusionesque ducere.

11. Ad recte legendum opus est, cognoscere figuras literarum, quibus tempore, siue, vt loqui mos est, seculo quoque, vsi sunt in scribendo populi, quorum diplomata cognoscere velis; deinde siglas et notas; denique compendia scribendi, et monogrammata nominum: quae sunt omnia ex antiquis exemplis a MABILLONIO, et multis aliis, copiosissime in *Nouo Opere diplom.* T. II. et III. tradita. Tironibus BARINGIVS suffecerit.

12. Ad intelligendum opus est primo scientia latinitatis, quae tempore quoque fuit; cuius facultatem dabit CANGII Glossarium, a Benedictinis praesertim auctum, itemque CARPENTARII Supplementum nuper (1766) editum; deinde notitia palatiorum, villarumque et cortium regiarum, pagorum porro Germaniae, dignitatum tum aulicarum, tum ciuilium, et militarium, denique kalendarii mediae aetatis, omninoque modorum temporis signandi. Ea ex iisdem fere fontibus haurietur: in vltimo profuerit etiam, HALTAVSII *Kalendarium medii aeui* consuluisse, et legisse Disputationem praemissam operi claro: *l'art de verifier les dates*, auctore CLEMENCET, *Paris.* 1750. 4.

13. Iu-

13. Iudicium diplomatum, genuina ſint, an ſpuria, etſi multas et magnas difficultates habet, vt in aliis libris; quod controuerſia diplomatica docet, tum vniuerſa illa, quae inter Francos et Italos fuit; cum alii, duce GERMONIO, Ieſuita, prope totum genus diplomatum antiquorum ſuſpectum reddere tentarent, alii defenderent eorum fidem vniuerſam; tum quae ſuper ſingulorum fide diſceptatae ſunt, vt, *Carolinis* quibusdam, *Lindauienſi*, etc. tamen dubitari non debet, quin hic quoque ars critica, ſi officium ſuum recte faciat, ad verum nos perducere queat. Sed cauendum, ne, aut credulitate aliqua et cupiditate in iudicio temere praecipitando, peccemus, aut dubitandi libidine, et argutiis inutilibus in Pyrrhoniſmum incidamus, qui ab hoc initio latius ſerpat, et omnes antiquitatis reliquias ſcriptas ſuſpectas faciat; quod egiſſe Ieſuitas, non nimis abhorret a vero, etſi reclamat GERMONIVS.

14. Sed etiamſi, vt in aliis generibus Criticis, ita in hoc quoque, plus ad bene iudicandi facultatem valet naturalis ſolertia, ſcientia, et vſus rerum, denique exercitatio aliqua examinandi et iudicandi: tamen non inutile eſt, praecepta quaedam ſcribi ac teneri, quae partim in iudicando dirigant parum exercitatos, partim in controuerſiis ſuppeditent principia diſputandi.

15. Oportet igitur *primum* tenere characteres diplomatum, et vniuerſos ac communes, et cuiusque aetatis proprios, eosque tum *externos*, qui ſunt in ſcripturae forma vniuerſa, in monogrammatis, ſigillis, ſimilibusque, cognoſcunturque obſeruatione; vnde de his latiſſime agunt omnes

omnes artis huius magiſtri; tum *internos*, qui ſunt in genere orationis, nominum, titulorum, ſubſcriptionis modo: *ſecundo* oportet rerum ipſarum non imperitum eſſe, vt, quid conſentiens ſit, quid repugnans, iudicare poſſis.

16. At vt haec praecepta ad vſum conferre diſcas paullatim, iudicandique in his rebus facultatem conſequare, legenda ſunt primum diplomata cuiusuis aeui quaedam haud dubie genuina, vt adſueſcas formae legitimae in ſingulis generibus, et comparandis deinde dubiis, vt conſenſum, vel diſſenſum, animaduertere poſſis. In quo etiam proderit plurimum, legiſſe analyſes diplomatum obſeruationibus additis, vt, IO. HEVMANNI, et de controuerſis diplomatis disputationes. Tironibus commendem *Allatii* libellum, et in CONRINGII *Cenſura Dipl. Lind.* in primis c. 18.

17. Vt denique ad Hiſtoriam, Geographiam, et Chronologiam, ad iuris item publici, ciuilis, et eccleſiaſtici ſcientiam vti diplomatibus diſcas, cognitus eſſe debet modus eorum in has partes vſurpandorum; qui conſtat maxime obſeruationibus, vnde concluſiones ducantur profuturae. In quo etſi ingenioſo non multum difficultatis eſt, tamen vtile eſt obſeruaſſe, quomodo alii viri docti, et in talibus rebus triti, ex iis argumenta hiſtorica, geographica, et alia, per obſeruationes inde oblatas duxerint, quorum eſt hodie numerus non paruus: nec modo in hoc genere monimentorum antiquorum, ſed etiam in aliis, quorum non diſſimilis eſt ratio.

CAP.

CAP. IV.

DE RE NVMARIA.

1.

Metalli nobilioris in emtionibus vſurpandi antiquiſſima conſuetudo eſt, vt quae iam in primo Pentateuchi libro 23, 16. memoratur, et apud HOMERVM *Iliad.* *ή*, 473. Sed ibi argentum eſt, hic aes et ferrum. Nec tamen ſtatim ſignato vſos eſſe credibile eſt, aut certis antiquitatis vel ſacrae, vel profanae, indiciis colligi poteſt, ne apud HOMERVM quidem vllo eius veſtigio impreſſo. Nam ſi tum fuiſſet, profecto aut loco illo memoraretur, aut in praemiis *ί*, 213. *ψ'*, 259. ſ. Veterrimae ſimplicitatis eſt, cuius nunc etiam apud Sinenſes et Abeſſinos vſus, taleis metalli vti, quae pendantur, quam et de Britannis tradit CAESAR, *B. G.* 5, 12.

2. Nec quis primus ſignare inuenerit, aut qui primi ſignato vſi ſint, pro certo dici poteſt: *Phidoni* Argiuo Graeci vulgo tribuunt argenti ſignati vel inuentum, vel inſtitutum (AELIAN. *V. H.* 12, 10. et ibi PERIZON.), alii, auctore HERODOTO 1, 94. *Lydis*, alii aliis.

3. Apud *Hebraeos* ante Simonis Maccabaei tempora numos cuſos fuiſſe, vix doceri poteſt, qui id ius extorſit Syris, 1. *Macc.* 15, 5. 6. Ab illo tempore ſignati, qui Samaritanis literis inſcripti ſunt, ſoli genuini habentur, ceteri omnes pro ſpuriis reiiciuntur. v. RELANDVS *de numis Samarit. Diſſ. I.* in primis FROELICHIVS, prolegom. ad *Annales Syr.* p. 74. ſ.

 4. *Phoe-*

4. *Phoenices*, credibile est, ad mercaturae commoditatem mature numis vsos esse: sed nihil certi est. Punicos multos exhibet LASTANOSA in rarissimo opere numismatico; qui vtrum sint vere Punici, an Saracenici, in Hispania cusi, dubitatur: sed de hoc argumento rectius scripsit is, quem supra P. I. c. 1. p. 4. memorauimus, VELASQVEZ, in eo, quem indicauimus, libro. Extant tamen alii Punicis literis, etiam Phoeniciis, in DORVILLII Siculis, T. II. *tab.* 1. n. 4. 5. 6. conf. etiam WINKELM. *Hist. art.* p. 71. 72. et PELLERINVS in *Numis populorum*, qui super eorum diuersis generibus, et controuersia de eorum interpretatione cum *Bartholomaeo* V. C. videndus *T. vlt. Supplem. p.* 48. *sqq.*

5. Antiquissimus e Graecis, qui exstet, numus ante putabatur *Amyntae* Regis, abaui Alexandri M. de quo v. BIMARDVS ad IOBERTVM, T. I. p. 26. Post ei aetate praelatus est *Phidonianus* (*Phidonis* nomine signatus) in *Thes. Brandeb.* BEGERI, T. I. p. 279, de quo extat SCHOTTI Disp. in *Miscell. Berolin.* T. I. p. 53. item *Cyrenaeus*, quem Phidoniano etiam praeponit HARDVINVS, putatque, tempora Cyri regis attingere (in *Comment. Triuultinis* a. 1727. p. 1444.). Sed in vtroque non vna est dubitatio: nec abhorret, antiquiores esse, in quibus scriptura est a dextris, vt, Syracusanos, et alios apud WINKELMANNVM in *Hist. Art.* p. 213. 215. quales et in DORVILLII *Itin.* T. II. (v. BVRM. V. C. p. 369.) sunt; quod tamen non vniuerse adfirmauerim de omnibus: quippe vetus scribendi modus in nonnullis locis potuit diutius seruatus esse, saltem in publicis monimentis, vt in numis.

6. Apud

6. Apud *Perfas* primus aurum puriffimum fignauit Darius Hyftafpes, auctore HERODOTO 4, 166. *Darici* appellati PLVTARCHO, et aliis, pares ftateribus aureis, h. e. viginti drachmis argenti. GRONOV. *Seft.* p. 168. 169.

7. *Romae* ab initio aes modo fignatum fub Seruio Tullio, vt tradit PLINIVS, placetque PERIZONIO *de aere graui* §. 5. Argentum bello Punico primo demum fignatum eft, a. V. 485. lege Ogulnia; aurum annis duobus et fexaginta poft, incertum, quo auctore, PLIN. 33, 3.

8. Sed in omni genere numorum veterum principatum elegantia et vfu ad doctrinam liberalem tenent Graeci et Romani: in iisque et materia fpectatur, et argumentum: quanquam pretium numi cuiusque magis ab hoc eft, quam ab illa.

9. Aurei numi Graeci et Romani funt ex auro puriffimo: argentei Romani minus puri: quamquam purum argentum magis vocant vetus, propter vilitatem aetatis ferioris. Nam fub Septimio Seuero coepere plus aeris admifcere, et fub Gallieno et fucceffforibus prope nihil argenti remanfit: Franci vocant *medailles de billon:* a Poftumiis inde ad Diocletianum argentati modo fuere. Poft meliores cufi funt.

10. Ceteri omnes aenei dicuntur, quamquam non funt omnes ex aere, quod proprie dicitur, aut eodem. E Cyprio affes facti, meliora feftertios dedere. Quidam etiam ex aere Corinthio facti creduntur; fed res ipfa refellit opinionem. Nam experimento cognitum eft, nil iis effe admiftum auri, qui ex eo genere

 putan-

putantur (SAVOT, P. II. c. 17.), nec veteres vspiam testes sunt: denique analogia repugnat: auxisset enim aes tale pretium numorum.

11. Plumbum an Romae signatum sit, vix hodie dubitatur, et quia diserte plumbei numi a veteribus memorantur, vt, PLAVTO *Trinum.* 4, 4, 120. et MARTIALE 1, 79. 10, 64. et quia exempla reperta sunt, quae in Museis ostenduntur (BIMARDVS ad IOBERT. T. I. p. 64.): sed publici vsus fuisse, aut publice signatos, vix crediderim: propiusque fidem est, vel ad lusus, vel aliam talem ob causam cusos esse, ob quam nunc quoque plumbei et alii vilioris materiae fiunt. Publice tria tantum genera numorum cusa esse, titulus triumuirorum auro, argento, aere flando feriundo indicat.

12. Magnitudo numorum, qui vsus publici essent, in auro et argento, non variauit, certe Romae. Nam denario argenteo, et numo aureo, qui denariis quinque et viginti par esset, maiores in vtroque metallo, missilibus potius, quam numis adnumerandi, (*medaglioni* vocant Itali, nos *Schaustücke*) in quibus honoris magis habendi ratio, quam vsus communis spectatus est: quamquam BIMARDVS (ad IOBERTVM T. II. p. 59.) putat, paullatim vsus publici factos, vt apud Graecos. Ex eo genere sunt etiam, quos *Contorniatos* verbo Italico vocant, ab addito alius metalli circulo. Aerei autem generis variam magnitudinem necessitas induxit ad vsus vitae communis: maioris, medii et minimi moduli faciunt artis numariae magistri: in quibus tamen ordinandis non satis consentiunt, cum ad iudicium de singulis res venit.

13. Di-

13. Diſtributionem numorum in genera plura facit etiam partis aduerſae (ſ. *anticae, de la tête*) argumentum: vnde alios Deorum, Regios alios, Conſulares, Caeſareos, vrbium denique et coloniarum alios, dicunt: in quibus Conſulares et vrbium in primis requiruntur.

14. Sed maxime ſpectari debet pars auerſa (ſ. *poſtica*, *le revers*), et eius argumentum: nam id plurimum fere prodeſt ad doctrinam; itemque vtriusque partis titulus.

15. Vſus quidem numorum veterum totus pendet e figuris vtriusque partis, et titulis: eſtque maxime duplex: primus, minus ille quidem late patens, ceterum non negligendus, pertinet ad iudicium artis et elegantiae in figuris perſonarum ac rerum, ad artem pictoriam, praeſertim linearem, et architecturam, propter artificium exquiſitum, quod in figuris, et qua picturam linearem, et qua elaborationem, temporibus bonis, h. e. ſeculo vrbis Rom. ſeptimo, octauo et nono, cernitur; deinde ad inuentionem monetarum, ſymbolorum, emblematum et titulorum; quae rectiſſime ad illam veterem rationem dirigitur. In quo imitationis exemplum maxime praebet opus elegantiſſimum *Hiſtoire metallique de Louis XIV.*

16. Alter eſt vberior in omni genere doctrinae antiquae liberalis, in Grammatica, in primisque Hiſtoria vniuerſa, in Geographia, cui maxime proſunt numi vrbium et populorum, et Chronologia, ritibusque publicis, quibus ſaepenumero et lucem, et certitudinem adferunt. Hos vſus copioſiſſime demonſtrauit in immortali opere de vſu et praeſtantia numorum EZ. SPANHEMIVS,

HEMIVS, cuius, ſub nomine ficto *Debiel*, FROELICHIVS compendium tironibus aptum dedit; quamquam maxime ſecutus eſt partem eam, quae ad Hiſtoriam pertinet. Hiſtoricos quidem, et Chronologicos vſus vberrimos, nemo poteſt ignorare, qui TRISTANOS, NORISIOS, PAGIOS, TILLEMONTIOS, etc. nouit, eorumque opera attigit. In re theologica quoque vſus quosdam demonſtrauit VAL. ERN. LOESCHERVS, in Stromateo, vt alios mittamus.

17. Enimuero ne in hoc vſu erretur, oportet cauere, ne ſpuriis decipiamur; praeſertim cum conſtet, multum fraudis in hoc genere intercedere: cui tamen magis obnoxii ſunt emtores cupidi, et rariores numos requirentes, quam eruditi numorum tractatores. V. IOBERTVM *de re num.* C. 10.

18. Itaque multo magis videndum eſt, vt numos bene intelligere, et ad vſus eruditos conferre diſcamus. Id conſequemur duabus rebus. Primum, opus eſt notitia aliqua ſiglarum et compendiorum ſcribendi, vt titulos recte legere poſſimus, quorum intelligendorum auctores ſupra commemorauimus. Nec oportet perſequi obſcura et ambigua, quae ſunt non nimis multa, et fortaſſe parum vtilitatis habitura, ſi maxime intelligerentur. Secunda eſt in notitia aliqua rerum ad intelligenda argumenta, h. e. Hiſtoriae Graecae et Latinae, quae quidem accurata ſit, et e fontibus ducta, item Geographiae antiquae et Chronologiae, qua aeras maxime populorum et vrbium, denique Mythologiae.

19. Opus eſt etiam apparatu quodam librorum numariorum: quorum eſt genus duplex.

Alte-

Alterum verſatur in ſcientia rei numariae vniverſae; in quo genere principes ſunt SAVOTVS, PATINVS, et IOBERTVS, praeſertim BIMARDI notis illuſtratus, (Pariſ. 1739. voll. 2. 12.). Etiam RINKII noſtratis, de cognitione rei numariae, opuſculum valde laudat BANDVRIVS, in *Bibl. num.* p. 77. Ad hoc genus etiam pertinent ANT. AVGVSTINI Dialogi de *Antiquitatibus Rom. et Hiſp. in numis:* quos Latine factos edidit A. SCHOTTVS, *Antw.* 1617. f. rec. Rom. 1736. f. vtiliſſimi tractaturis numos Latinos. Sed haec ſcientia libris ſolis parari non poteſt, vſumque aliquem deſiderat inſpiciendis et tractandis numis ipſis, viſendisque Muſeis.

20. Alterum genus eſt, quod numos ipſos exhibet, explicat, et illuſtrat. In quo principes ſunt ad numos *Caeſarum* MEDIOBARBVS, VALENS (*Vaillant*) MORELLIVS, CANGIVS, et BANDVRIVS: ad *Conſulares*, PATINVS, VALENS, et MORELLIVS: ad *Regios*, idem VALENS, ad *Vrbicos et Colonicos*, praeter VALENTEM, HARDVINVS. Generis regii et vrbici praeclara ſupplementa dedit nuper PELLERINVS, Francogallus, decem voluminibus, *Pariſiis* inde ab a. 1762. ad 1767. editis, in quibus inediti modo et rariores, eamque ob cauſam vulgo minus noti, proponuntur et explicantur, etiam ſuperiorum, vt, *Valentis*, errores paſſim notantur. Vniuerſa genera vno opere edidit IO. IAC. GESNERVS, *Tiguri* 1738. f.

21. Oportet etiam exercitatione aliqua vti ad capiendam aliquam conſuetudinem, et facultatem conferendorum ad vſus, ante demonſtratos, numorum, legendis quibusdam libris, in quibus

numi ad illuminandam historiam, aliasque doctrinae partes sunt collati. Ii qui sint, ante demonstratum est, §. 16. f.

22. Studium colligendorum numorum antiquorum cum ipsa literarum bonarum instauratione cepit initium in Italia, per PETRARCHAM, ALPHONSVM, Arragoniae regem, ANTONIVM, S. Marci Cardinalem, COSMVM MEDICEVM, filiumque PETRVM, et LAVRENTIVM nepotem; in Germania, per MATTHIAM CORVINVM, MAXIMILIANVM, Caesarem; quibus accessere priuati multi, vt BVDAEVS in Gallia, in Belgio et Germania plurimi. v. GOLZII praef. *Operis numism.* ad Antiquarios; vnde patet, permagnum tum numerum fuisse eorum in Italia, Francia, Germania, Belgio, qui numophylacia haberent. Tantum studium rei numariae erat!

23. Hodie Musea huius generis instructissima sunt, *Parisiis*, regium et S. Genouefae; in *Italia*, Vaticanum, Taurinense; in *Britannis*, Londinense; in *Germania*, Vindobonense, Berolinense, Gothanum, Stutgardianum, Lipsiense Senatus, in genere Consulari locuples in primis; quibus addendum *Danicum* Hafniae. Museum *Christinae*, reginae, clarissimum dispersum est cum Bibliotheca. Eius tamen descriptio extat, ab HAVERCAMPO edita 1742.

24. Edendorum numorum initium factum est in Germania per IO. HVTICHIVM in *Vitis Caesarum*, a. 1525. et iterum 1534, in quibus exemplis Consulares 42. accessere; eumque deinde in aliis generibus plures secuti sunt. Sed primus operae pretium fecit HVBERTVS GOLZIVS,

ZIVS, Belga, edito *Thesauro rei antiquariae*, aliisque operibus numariis, a. 1575. sqq. quae deinde in vnum corpus redacta, bis *Antuerpiae* repetita sunt Tomis quinque a. 1608. et 1620.

25. Post eum certatim viri praestantissimi in lucem edidere numos vel vniuersorum generum, vel singulorum, vel Museorum, eosque commentariis illustrauere, vel selectos et rariores, tum per occasiones fortuitas in historicis operibus, vel commentariis auctorum Graecorum et Latinorum, tum in propriis libellis, quos magno numero ad temporum seriem enumerat, diligenterque recenset ANS. BANDVRIVS in *Bibliotheca numaria*, quae per IO. ALB. FABRICIVM in Germania repetita, et passim aucta, atque illustrata est: sed non paruis supplementis indiget. Nam subsistit in anno huius seculi septimo, post quem multa, et praeclara in hoc genere opera prodiere, vt, LIEBII Gotha numaria, HAYMII Thesaurus Brit. MORELLII Postuma opera, DORVILLII numi Siculi, in parte altera *itineris*, *Siculi* a *P. Burmanno* V. C. illustrati, FROELICHII *Annales Syriae*, nuper pulcherrimum opus *Pellerini*, quod ante commemorauimus, et alia.

CAP. V.

DE TOREVTICE.

Ab operibus literatis veniamus ad cetera, in quibus ingenia et manus artificum ſpectantur. Sunt autem artes, quarum opera ſpectanda ſunt, quatuor principes, *toreutice*, *plaſtice*, *pictoria*, et *architectura*.

1. Harum etſi baſis eſt *pictura linearis*, *Graphice*, (*l'art à deſſiner*) tamen inuentione ita videtur illis, certe plerisque, poſterior, vt ars dicendi eloquentia: pictura quidem ea, quae penicillo et coloribus imitatur naturam, priorem, immo eius fuiſſe initium, et quaſi proluſionem, facile crediderim: ſecus tamen videtur GOGVETO, in opere *de origine legum et artium*, *P. I. L. II. c.* 5. qui eam omnium primam inuentam eſſe putat, ortamque ab vmbris rerum, quae lineis circumducerentur.

2. Eius initia, vt omnium artium, tenuia fuiſſe, dubitationem vix habet; videturque cum profectu artium ipſarum, vt toreutices in primis, et ipſa profeciſſe. Sed alios populos, vt Aegyptios, quibus inuentionis gloriam non pauci tribuunt, veteris tenuitatis tenaces fuiſſe, opera eorum arguunt. Perfectionis quidem gloria Graecis ſine dubio artificibus debetur. In eius hiſtoria et ratione explicanda cum alii elaborarunt, tum diligentiſſime nuper et copioſiſſime ſcripſit WINKELMANNVS in primo Volumine

Operis,

Operis, quod *Monimenti antichi inediti* inſcripſit, ediditque Romae, anno ſuperiori (1767. f.) De diſcrimine artis veteris et noſtrae noſter etiam CHRISTIVS videndus in *Muſ. Richter*, praefatione altera *D. b.*

3. Antiquiſſima, ſi architecturam, rudiorem certe, excipias, videtur *toreutice*, quae caelo vel ſcalpro efficit e ligno, ſaxo, aut alia qua duriori materia, figuras. Nam et facilior inuentio fuit; quippe citius ſolido corpori ſpecies datur, quam in plano effingitur; et antiquiſſima eius ſunt apud populos omnes Orientis et Occidentis veſtigia, etiam in libris ſacris impreſſa. Nam *Labanis teraphim*, quicquid fuerint, ſigna certe fuere vel lignea, vt opinor, vel ex alia qua materia dura: et *vitulus Aaronis*, ſculptile opus, bractea aurea inductum, fuit. Itaque ab hac initium fecimus.

4. Patet autem late *toreutice*, continetque 1) *ſtatuariam* in ſaxo et marmore; vnde fiunt *ſigna:* 2) *caelaturam* in eodem, in gemmis, metallis, ebore ſcalpendis; quae ſunt *opera caelata: toreumata* in Verrinis Ciceroni dicta, etiam in genere potorio: denique 3) *ſculpturam* in ligno, quae facit *ſculptilia:* quamquam in his verbis non ſatis conſtans eſt et ſibi conſentiens latinitas. *Plinius* quidem toreutices verbum ita late dixit in Phidia, 34, 8. cum ab eo primo toreuticen apertam et demonſtratam iudicat. Nam Phidias in marmore, aere, et ebore laborauit, nec modo ſtatuas fecit, ſed etiam alia opera, vt clypeos, caelauit. Graeci autem τορευτον, itemque γλυπτὸν dicunt, quicquid caelo ſimiliue inſtrumento, vt ſcalpro, elaboratur. Adi SALMASIVM ad *Solin.* p. 735.

5. Ea

5. Ea ars, vt ceterae, ab initiis tenuiſſimis cum ad perfectionem veniſſet, aſſecuta veram pulcritudinem, et in vniuerſis operibus, et in ſingulis eorum partibus, coepit argutari, vt ſit, et quaſi deliciari. Itaque corrupta eſt fuco inani, et paullatim defecit. Sed haec per partes ſingulas explananda ſunt.

6. Omnium primam figuram humanam e ligno, deinde ſaxo effingere ſculpendo caelandoque tentaſſe homines, credibile eſt. Sed in principio merae columellae erant, vel arae, qualem Cybeles ſtatuam, Romam perlatam, tradit LIVIVS 29, 11. alias alii: v. Fragm. Epigr. CALLIM. inter BENTLEII n. 105. poſt cum capitulo aliquo, quod capitis humani figuram referret, (ἀγάλματα τετράγωνα,) quarum exempla PAVSANIAS habet (VIII. p. 671. 698.), veſtigia autem in hermis manſere; donec Daedalus pedes, primum iunctos in medio, (συμβεβηκότα) deinde diuaricantes (διαβεβηκότα) expreſſit, alii alias partes, vt brachia, ſed durius pendentia, aut demiſſa (Gr. παρατεταμένα). Primum genus βαιτύλια, alterum ξόανα, tertium βρέτη vetuſtas Graeca appellauit ap. CLEMENTEM *Alex.* et alios. v. POTTER. *Archaeol. Gr.* 2, 2.

7. Haec initia et haec progreſſio rei prima in Graecia: ſed ſimilia apud Aegyptios, Etruſcos, Aſianosque populos fuiſſe, reliquiae eorum generum, quae ſunt hodie multae in lucem prolatae, et teſtimonia veterum docent. Nam Aegyptiis Etruſcae ſimiles ſunt; Etruſci ex Aſia, vt Graeci, venere: Graeci denique ab Aegyptiis didicere artis initia. v. CAYLVS *Recueil d'Antiqu. T. II. p.* 111.

8. Ae-

8. *Aegyptiorum* ars a prima ſimplicitate, ſiue duritiem malis dicere, quae lineam rectam in effingendis humani corporis figuris ſequebatur, ſaltem non multum ab ea declinabat, ne tum quidem magnopere receſſit, cum iam ſub imperio Graecorum, ipſisque Graecis mixti eſſent. Ceterum in figuris animantium opera argutiora reperiuntur, et magis polita omnia, quam apud ceteros populos.

9. In *Etruſcorum* operibus ex hoc genere antiquiſſimis eadem eſt, quae in Aegyptiis prioribus, deſcriptio, idem habitus, h. e. compreſſus ad lineae rectae anguſtias, et hoc ipſo aberrans a naturae elegantis veritate, quae eſt inter lineam rectam et circularem media, h. e. in ea, quam Geometrae appellant parabolam. Sed ab hac rudiori ratione tranſitus factus eſt ad paullo meliorem, et Graecae veteri non diſſimilem, in qua tamen expreſſio partium eſſet minus diligens, et habitus totus ita aberraret a ſimplicitate et veritate naturae, atque elegantia, itemque ab decoro in actionibus, vt nulli figurae proprietas ſua conſtaret; non Apollo a Marte, non Iuno a Venere diſcreparet, ſc. ore, vultu, habitu: quod genus opera *Cicero* appellat *dura:* in quo tamen poſt elegantiora facta ſunt imitatione Graecorum.

10. Principatum in toto hoc genere Graeci, vt in ceteris artibus omnibus, adepti ſunt, tum ingeniorum bonitate, ſtudiisque doctrinae elegantioris adiuti, tum gloriae quaeſtusque cupiditate incenſi: quae late perſequitur WINKELMANNVS *Hiſt. art.* P. I. c. 4. Nam a prima illa rudiori ratione paullatim artem ad perfectionem exqui-

exquisitam adduxere; cui post etiam pulcritudinis gratia accessit. Scilicet, *soli Graeci Gratiis litauere.*

11. Prima illa ratio rudior durauit ad *Phidiam*, perfectionis seuerae et legitimae auctorem: venustas et gratia debetur *Praxitelis* ingenio. Post *Lysippum*, h. e. Alexandri M. tempora, ars haec paullatim, vt aliae ingeniosiores, defecit.

12. Primae aetatis reliquiae admodum paucae verae feruntur. Ad eam referri potest statua, Tibure reperta in Villa Adriani ap. Com. CAYLVM, *T. II. tab.* 39. vbi consulatur ipse. Omnium antiquissimum habetur opus marmoris scalpti, s. tabulae marmoreae scalptae (*bas-relief*) in Britannia, exhibens pugilem stantem coram Ioue sedente, ap. BIMARDVM in notis ad marmor inscriptum βυςροφηδὸν (in *Thes. Murator.* T. I. p. 35.), cuius duritiem in ossibus, in suris, etc. etiam minus ad hanc elegantiam exercitatus oculus sentiat. Artifices clari sunt, post *Daedalum*, *Smilis*, idem fortasse cum *Scelmi Callim.* fr. 105. siue pro *Scelmi* reponendus; v. *notas nostras:* item alii, quorum nomina et memoriam seruauit cum *Pausania Plinius.* Ceterum priores illi lignea modo opera fecere, quae vidit PAVSANIAS, II. p. 121. et 152. Paullatim marmor scalpere, denique aes caelare coepere, vt patet exemplis operum, quae ex aetate hac recenset idem. Nec tamen melioribus temporibus e ligno sculpere signa desiere, vt ex eodem docet CAYLVS *T. II. p.* 106.

13. Fuere etiam scholae, iam tum, artificum, quae etiam melioribus temporibus durauere:

vere: in quibus clarissima *Sicyonia* fuit, tum *Corinthiaca*, et *Aeginetica;* quarum cuique sua manus fuit. *Manum*, quam vetus latinitas dicit, populares nostri *stilum* (*den Stil*) appellare instituerunt, verbo rhetorico; quod manus artificis similis est generi dicendi in oratoribus atque poetis: haud, credo, an satis bene: mollius *methodum* vocat (*la manière*) C. CAYLVS (praef. T. III. p. XX.), etsi ipse quoque generi orationis comparat. Nam *stilus* ne Latinis quidem est genus orationis, sed exercitatio scribendi.

14. Sed eas scholas, probabile est, iis in locis habuisse originem ab earum vrbium potentia et copiis e mercatura maritima (v. *opuscula* nostra *orator*. p. 434. ed. sec.). Itaque, auctis Atheniensium opibus, ibi etiam artifices exorti sunt, non inferiores ceteris, in his in primis *Phidias*, aetate Periclis (PLIN. 36, 5.) nouae in arte aetatis et formae auctor, quae propius ad veritatem naturae accederet, h. e. ab rectae lineae angustiis ad curuae facilitatem et mollitudinem, emolliretque habitus et actiones corporum, sed ita, vt seueritas artis, in proportionibus maxime, seruaretur, magisque τὸ ἀκριβὲς expeteretur, quod recte et seuere iudicantibus probaretur, quam τὸ εὔχαρι, quod oculos lenitate sua, et sensibiliori pulcritudine caperet: sicut in Musicis alii Chromaticum genus potius sequuntur, quamquam paucorum auribus aptum, quam mollius Italorum, cuius gratiam etiam imperiti sentiant. Vnde fit, vt etiam in huius aetatis operibus durities notetur ab antiquis, vt CICERONE, in *Bruto* c. 18. in Canachi et Calamidis, a PLINIO, 34, 8. etiam in Myronis operibus.

Haec

Haec eſt ea, quam Latini artifices *quadraturam* dixere; vnde Polycleti *ſigna quadrata* dicta *Varroni* apud PLINIVM, 34, 8. Noſtri vocant *das Eckigte*, *das Scharffe*.

15. Ex hac aetate putantur eſſe *Pallas*, in Villa Albana, *Niobe* cum filiabus in Medicea, quam putant eſſe plane eam, quae PLINIO 36, 5. memoratur, et laudatur, et pauca alia. Sunt enim, iudice WINKELMANNO, *Hiſt.art.p.* 226. perfectae artis, ſed exiguae gratiae. Artifices, praeter *Phidiam*, cuius clariſſima opera fuere Iupiter Olympius, et Pallas, a Pericle dedicata, *Polycletus*, *Myron*, *Scopas*, *Alcamenes*, quorum apud veteres et nomina, et opera laudantur ſaepe. PLIN. 34, 8. Polycleti ſimulacrum fuit, quod *Canonis* nomine celebraretur, quod ab eo normam artis petebant diſcentes et artifices.

16. *Praxitelis* artificium centum annis poſt Phidiam eluxit, cum Thebani Graeciae imperarent, ad ſummumque venit per *Lyſippum*. Id duabus rebus cernebatur, primum, in diligentiori imitatione venuſtatis naturalis in toto corpore, et maioribus eius partibus, per maiorem declinationem a recta, vnde Lyſippum *quadratas* veterum *ſtatuas*, noua intactaque ratione permutaſſe, dicit PLINIVS, 34, 8. deinde, in gratia e varietate oris et decoro actionum, prius a pictoribus, vt Parrhaſio, quam ſtatuariis vſurpata. Itaque non iam *ad vnum exemplum* omnia ſigna facta, vt de Polycleti ſignis loquitur ap. *Plinium*, l. c. *Varro*.

17. Ex hac aetate plura opera ſupereſſe creduntur, vt *Laocoon* cum filiis duobus, cuius apud *Plinium* eſt mentio in clariſſimis operibus: item-

ltemque *Apollo* in villa Romana (*Belvedere*), in cuius descriptióne ἐνθουσιᾶ WINKÉLMANNVS Hist. art. p. 392. nisi e Phidiaca potius est: forte et *Hermaphroditus* Florentinus, ap. *Gorium*, in quó exemplum artis perfectae agnoscebat CAYLVS, simillimum exhibens T. III. p. 115. Sed in iudicio hoc fere dissentiunt etiam periti talium operum spectatores: interdumque, per ambitum intelligendi, aetas operum dubia redditur. Nam etiam in his rebus Scepticismus quidam est, parentem habens illum ipsum intelligendi vanum ambitum. Artifices huius aetatis insignes, eorumque opera *Plinius* narrat.

18. Ab Lysippi aetate variam ars haec fortunam cum vniuersa Graecia habuit, modo inclinans se ad deteriora, per incommoda temporum, modo reuocans se paullulum quibusdam in locis, vt in aulis Regum Graecorum per Asiam, in Siciliaque, vel per ingenia meliora, vel alicuius occasionis opportunitatem: vnde etiam egregii artifices illorum temporum memorantur, et opera pulcra etiamnum reliqua, vt credunt intelligentes, visuntur: sed tamen ad extremum cum Graecis ipsis oppressa est.

19. Ita expulsa e Graecia, sedem Romae repe-rit sub Caesaribus primis, vrbe et exemplis artis perfectae, vndique comportatis, abundante, nec minus emtoribus operum per copias pecuniarum, et luxuriam temporum; insanientibus omnibus in porticibus, atriis, villisque, hoc genere operum ornandis: extantque etiamnum opera artificum ex ea aetate, quae vim et furorem temporum euasere. Ex quo genere est Caesaris Germanici in hortis Versaliensibus

ſignum pulcerrimum, cum pluribus aliis in Italia; quae enumerat WINKELMANNVS.

20. Sed hi artifices, vt tum ſcriptores, non ſuo ingenio, ſed imitatione modo veterum valuere, nec eiusdem generis, aliis Phidiam, aliis Lyſippum, etc. ſequentibus. Sed dum commendationem nouam quaerunt ab diligentia in minutis elaborandis exquiſitius et ornandis, vt capillis, ſuperciliis, vnguibus, etc. veram perfectionem et pulcritudinem amittunt. Cuius generis exempla habet idem WINKELM. *H. A.* p. 237. ſ.

21. Vſus talium operum, maiorum quidem, fuit in religione Deorum publica in templis, porticibus, atriis, foris, vicis, et villis ornandis: minora, aurea et argentea caelata, etiam in religione priuata, in ſupellectili menſarum; vnde vaſa ſigillata, caelata, toreumata conuiualia frequenter commemorantur, praeſertim apud CICERONEM in *Verrina* quarta: quae ſuper hoc genere legenda eſt.

22. Reliquias antiqui huius artificii ab inſtauratis literis edidere multi, partim ſeparatim, partim inter alia genera. Principes et vtiliſſimas collectiones infra commemorabimus. Indicem artificum huius generis, e veteribus collectum, dedit IVNIVS ad calcem operis docti, *de Pictura Veterum.*

23. Vtilitas autem horum operum cognoſcendorum eſt duplex: prima, ad elegantiam ingenii in ſpectandis operibus artis et pulcritudine vera ſentienda et iudicanda: altera maior, ad doctrinam pertinens, quae eſt in cognoſcendis per ſenſum rebus antiquis, quae deſcriptione explicari

explicari non satis perspicue possunt, vt in vestitu similibusque rebus, item in intelligendis scriptoribus antiquis, cum de talibus rebus scribunt aliquid, nec minus ad iudicium poëtarum, cum in talibus operibus exprimendis elaborarunt.

24. Huic generi toreutices, quod figuras e materia solida integras, et seiunctas ab alio corpore (περιφανῆ Graecis dicuntur), vel caelando, vel sculpendo efficit, qualia sunt et in sigillatis vasis, coniunctum est alterum, quod superficiem vel tabulae marmoreae, vel eboris, vel vasis, vel alius supellectilis, etiam ianuas templorum, scuta, clypeos, etc. ornat figuris, in marmore quidem, et vasis e marmore vel metallo, ex ipso corpore expressis, vt partem aduersam modo ostendant (Gr. πρόστυπα), in ceteris extrinsecus illigantur, vt etiam reuelli possint; cuius rei multa est apud *Ciceronem* l. c. mentio. Sigilla illa περιφανῆ, i. e. integra, et cum illigantur vasis, vt poculis, *emblemata* appellantur, et cum ita corpori vel vasis, vel clypei, vel valuarum inseruntur, vt dimidia modo extent; in posteriori genere etiam *crustae*, quod et marmoris secti, et caelati ad ornatum parietum, nomen est. v. *Clav. Cic.* in verbo vtroque.

25. Secti marmoris ita caelati (*en ronde bosse*) antiquissimum exemplum est, quod sciam, in marmorea tabula, vel crusta Britannica, quam supra commemorauimus. Aliarum crustarum, vasorumque marmoreorum multa exempla extant apud antiquitatum collectores, recentissimumque, Comitem CAYLVM. Aeris autem et melioris metalli fuere *Thericlea* vasa ap. CICERONEM *Verr.* 4, 18. 10 s. *A. X*, 1. et alia.

 26. Cly-

26. Clypei caelati antiquiſſima apud *Homerum* et *Heſiodum* eſt mentio; quorum exempla imitatus eſt *Virgilius* cum *Silio*, multisque aliis: vnde artifices ſimiles elaborare tentarunt, ſuntque reperta exempla antiqua. V. DRAKENB. ad *Silium* p. 196. *Mys* caelauit, ſeu ſculpſit clypeum Mineruae ex ebore, ad deſcriptionem, factam a Parrhaſio, PAVSAN. p. 67. Fores caelatas fingit ingenioſe VIRGIL. *Aen.* 6, 20. ſ. et narrat CICERO *Verr.* 4, 56. qui et *emblemata* appellat.

27. Hoc denique artificium eadem initia, et incrementa, et fata aduerſa habuit. Nam eſt eiusdem formae, et iisdem regulis tenetur. Reliquiae eius, niſi in marmore, et clypeis, lucernisque, vix reperiuntur. V. MONTEFALC. *T.* 4. *Suppl. p.* 12. et lucernarum clypeorumque editores. add. BARTOLI *Admir. antiqu. Rom. et veteris ſculpturae veſtigia*, Rom. 1690.

28. Maior, immo prope infinita copia eſt in parte ea, quae proprie *Glyptice* dicitur, *ſculptura* vel *ſcalptura gemmarum*, quia fit γλυφάνω, ſcalpro, non caelo: quamquam et caelatas gemmas, eminentibus ſupra aream gemmae figuris, et icunculas gemmeas habemus; qualis eſt in *Muſeo Richt.* n. 8. e Chalcedonio (ἀνάγλυφα Graeci dicunt et ἔκτυπα).

29. In his operibus tria ſpectantur, lapillus ipſe, manus artificis, ſiue artificium et ingenium ſcalpturae, denique argumentum ſcalpturae.

30. Ac de gemmarum quidem ipſarum generibus vniuerſis diximus: ceterum delectus quidam gemmarum in ſcalpendo fuit; magisque onychibus, achatis, ſardis, praſiis etiam et iaſpidibus, vſi ſunt, quam aliis, vt opalis, ſapphiris,

ris, carbunculis lucidioribus, chryſolithis; vel propter duritiem, ſcalpro fortius reſiſtentem, vel pretii magnitudinem, vel aliis de cauſſis.

31. In Muſeis quidem gemmae omnium fere generum reperiuntur, vt e GORLAEO, aliisque gemmarum veterum indicibus, velut nupero *Lippertino* patet; ſed impari frequentia. Nec tamen ex his reliquiis certa eſt coniectura. Nam ſmaragdi ſcalpti hodie ſunt rari, cum PLINIVS teſtis ſit, iis libenter vſos ſcalptores propter coloris amoenitatem. Adamanta ſcalpere non didiciſſe creduntur, idque primus reperiſſe aetatis recentioris artifex, *Iac. Treccia*. v. ALLATIVS ad *Antiqu. Etr.* p. 40. et GORLAEI praef. ad *Dactylioth.* in pr. LONGVS de annulis, p. 36. Sed tamen exemplum adamantis ſcalpti eſſe traditur in Dactyliotheca Bedfordi Comitis ap. LIPPERTVM, in *Dactylioth.* P. II. p. 116.

32. Superficies gemmarum an polita fuerit eo, quo nunc ſit, modo, tritu arenarum tenuisſimarum ex adamante aut ſmyride lapide, video dubitari. Sunt, qui putent, in his noſter quondam CHRISTIVS (praef. ad *Dactyliothec. Muſ. Richt.*), pariter ſcalptam eſſe; quod per microſcopia cernantur ſulci, vel ſtriae, quas ab tritu arenarum eſſe non poſſe, ſed a ſcalpro: nec vllam eius rei mentionem eſſe apud veteres, cum pro ſcalptura teſtimonia extent, PLIN. 37, 4. 13. Sed locus *Plinii* de ſcalptura argumenti intelligi poteſt commode: et ſunt teſtimonia etiam contraria eodem in loco de politura. Sed talia artificibus ſcalptoribus potius, quam nobis, diſceptanda ſunt.

 33. Ar-

33. Artificium poliendi gemmas antiquiſſimum eſſe, Moſaici libri docent: ſcalpendarum in iis figurarum ſerius inuentum videtur, ſcalpturaque marmoris poſterius. In gemmis Aaronis nomina modo tribuum ſcalpta, *Exod.* 39, 6. Ceterum vtramque ſcalpturam pariter adoleuiſſe credibile eſt, et elanguiſſe. Nam vtraque nititur picturae linearis deſcriptione, et imitatione ſymmetriae in pulcritudine naturali, venuſtatisque ſimplicis et facilis in partibus figurarum actionibusque. Ea vero in omni genere artium eodem tempore creuit et diminuta eſt.

34. Vſus gemmarum ſcalptarum fuit in annulis ſignatoriis, qui huic artificio reperiendo locum videntur feciſſe; vnde artifices ipſos δακτυλιογλύφους, annulorum ſcalptores, vocant Graeci, cum homines lauti annulos, quibus ſignarent, geſtare in digitis vellent, non modo ſecuritatis cauſſa, ſed etiam ad ornatum. Nec tamen propterea ſtatim ab initio gemmae ad ſignandum vſurpatae, aut gemmae ipſae figuras ſtatim habuere. Ceterum res in Aegypto initium habuiſſe videtur ex indiciis ſcripturarum ſacrarum.

35. Antiquiſſima gemmae in annulo ſcalptae inter Graecos exempla ſunt *Phoci*, (a quo Phocis dicta) Aeaci filii, e fabulis; *Polycratis*, Samii, quem Daedalo aequalem faciunt, a Theodoro ſcalpta, de qua ſupra. In ea PLINIVS 37, 1. initium ſcalpturae in annulo ponit.

36. Alexandri aetate artificium hoc perfectionem adeptum fuiſſe in *Pyrgotele*, et res arguit, et Alexandri praeceptum, cauentis, ne ſimulacrum ſuum, niſi a Pyrgotele, in gemmis ſcalperetur. PLIN. l. c.

37. Ro-

37. Romae hoc quoque artificium habuiſſe perfugium, ſed vt a Graecis coleretur, *Dioſcoridis* exemplo conſtat, apud SVET. *Aug.* 50. PLIN. l. c. cuius manu ſcalptas gemmas tres exhibet STOSCHIVS *in Gemm. caelat. n.* 25. 26. 27. Et in Sicilia bonos huius generis artifices fuiſſe, e CICERONIS *Verrina quarta* c. 26. videtur colligi poſſe.

38. Gemmas ſcalptas colligere, vetus inſtitutum eſt: *Dactyliothecas* appellauere. Mithridatis antiquiſſimum exemplum eſt, cuius dactyliothecam Pompeius in Capitolio dedicauit. Romae primus inſtituit Scaurus, Syllae priuignus, poſt Caeſar, ſex in aede Veneris, Marcellus, Octauiae fil., vnam in Palatini Apollinis cella. *Plin.* l. c. Recentiori aetate plures pluribus locis inſtitutae, opportunitatem praebente copia.

39. Ceterum in his magis artificium argumenti, quam lapis ipſe in pretio fuit, a quo etiam vſus eſt praecipuus, vel ad artifices pertinens, vel ad ſtudioſos literarum: eſtque eadem eius generis ratio, quae ſtatuarii, in primisque numarii: niſi quod hic maior varietas eſt; quo etiam magis profunt antiquitati Graecae Romanaeque illuſtrandae.

40. Etiam recentioris manus a vetere diſcernendae in his iudicium eſt, ſed ambiguum ſaepe, etiam his, qui artificii talis non ſunt imperiti, et oculos habent, vſu tritos notandae elegantiae, et antiquitatis ſincerae ab imitatione diſcernendae.

41. Gemmas ſcalptas iuſto volumine collectas edere, primus inſtituit ABR. GORLAEVS,

 Belga,

Belga, vetere Dactyliothecae nomine, elegantibus figuris, *Delphis* 1601. 4. quod opus bis repetitum est per IAC. GRONOVIVM 1695. 1704. Sed minor numerus editus est, quam voluntas editoris tulerat, destituti ab redemtore. v. *praef. Gorlaei.* Post eum multi multas edidere inter alias antiquitatis reliquias, aut separatim, vt ZANETTVS, Venet. 1750. GORIVS in *Passerii* Thesauro Gemm. *Flor.* 1750. f. etc. aut Museorum in copiis, quorum copia praesens esset, vt *Odescalchi*, Rom. 1751. f. *Ebermaieri*, Lipf. 1721. *Richteri* etc.

42. Ad intelligendum, et artificii sensum consequendum nihil aptius fuerit primum opere Cayliano, in quo plurimae gemmae explicantur cum admonitione breui de artificio, deinde *Dactyliotheca* PHIL. DAN. LIPPERTI, artificis Dresdensis clari, superiori anno absolutius edita. Sed exempla gemmarum antiquarum ipsa inspicere oportet, vt oculi vsum sentiendi capiant, vel imitamenta exemplorum veterum, quorum artificium idem ille LIPPERTVS apud nos instaurauit e vitro, ad veteris similitudinem *Obsidiani* (PLIN. 36, 26.), de quo Com. CAYLI disputatio erudita est *T.* 30. *Comm. Acad. Inscr.* p. 457. Veteris illius generis ex Obsidiano vitro reliquiae etiamnum quaedam extant, vt in *Thesauro Stoschiano*, a WINKELMANNO nuper edito, item in *gemmis caelatis*, a PHIL. STOSCHIO illustratis, n. 49. et 52. cuius vid. *praef.* p. 18. vbi idem artificium a *Philippo*, Duce Aurelianensi, instauratum tradit.

43. Sed quoniam vitri mentio facta est, attingendum est etiam genus artificii veteris in vitro

vitro

vitro caelando et ſcalpendo. Nam et pocula, aliaque e vitro vaſa, ſicut argentea, caelata eſſe, tradit PLINIVS 36, 26. *torno*, inquit, *teritur et argenti modo caelatur:* eorumque poculorum gratiam tantam fuiſſe, vt argenteorum et aureorum vſum ſuſtulerit; quae deinde modo in abacis tricliniorum ad ſpectandum, vt opinor, exponebantur: quamquam et antea vaſa caelata pretioſiora magis ad hunc ornatum vſurpata ſunt, quam ad bibendi vſum in conuiuio. *Vitrum ſigillatum* memorat etiam APVLEIVS *Metam. 2. p. 26. extr. ed. Colv.* et *Martialis* 14, 94. *toreumata vitri.* Deſcriptio elegans talis crateris eſt ap. ACHILLEM TATIVM *L. II. p.* 69. *ed. Salm.* De artificio vitri tornandi, ſi quis cognoſcere velit, adeat CAYLVM *T.* II. *p.* 356. f. Sed id ad artifices potius, quam ad noſtram curam pertinet.

CAP. VI.

DE PLASTICE.

I.

Plaſticen, ſunt, qui aetate omnium primam putent; quod molliorem materiam tractet: Paſiteles apud PLINIVM 35, 12. etiam matrem ſtatuariae, ſcalpturae, et caelaturae. Nec valde repugnem, praeſertim in vaſis et ſupellectili alia, itemque in ſimulacris.

2. Ea primum argillam, vel cretam, gypſumque tractauit atque finxit, poſt etiam aliam materiam, vt ceram, et aes, igni liquefactum. A

priori genere et fecundo *plaftae* et *fictores* funt; ab altero et *caelatores* vel *aerarii* apud CICERONEM *Verr.* 4, 13. a tertio *ftatuarii* proprie.

3. Primum genus et *figlinam* complectitur, quae fupellectilem domefticam ex argilla fingit, non indigna, quae hic commemoretur: quod et in hac aliquid ingenii eluxit. Nam imitata primum eft in argilla opera caelata; ex quo genere fuere *Thericlea opera*, figlina primum; fuit enim figulus Thericles; quorum deinde ingenium etiam in metallo expreffum eft: idque genus et ipfum Thericleorum nomen accepit. Sed habuit etiam caelaturam propriam. Nam PLINIVS *caelaturam* in fictilibus faftigiis commemorat, MARTIALIS autem 4, 46. *figuli caelum*, et PLVTARCHVS, in Apopht. *σκεύη κεράμεια, εἰργασμένα γλυφαῖς τισὶ καὶ τορείαις*, *opera figulina caelata et fcalpta.*

4. Nec ea res contemtibilis fuit, tanta operum talium elegantia exorta, vt maximo venirent, (PLIN. 35, 12.) ficut noftra nunc Porcellana, quae ex eodem genere funt: nam et olim picta effe argillacea vafa, ea, quae nuper reperta funt Campana, teftantur: de quibus multa WINKELMANNVS in *Hift. artis* habet. Eiusdem generis *Horatii fupellectilem Campanam* fuiffe, non credere fuftineam, quia de ea, vt de re vili, loquitur. Genera operum figulinorum fuis virtutibus commendata, enumerat PLINIVS l. c.

5. Figlina fimulacra primum finxiffe, PLINIVS tradit, *Dibutadem*, *Corinthium.* Ex eo genere Romae fimulacra antiquiffima Deorum, in his Iouis Capitolini, in cuius etiam manu fictile fulmen ponit OVIDIVS: tum *antefixa* in tectis tem-

templorum, apud LIVIVM 34, 4. primum *protypa*, deinde *ectypa*, quorum inuentor idem *Dibutades* traditur. *Protypa* malit SALMASIVS intelligere *prostypa*, parte modo aduersa figurata, quod simplicitati artis non male conuenit. *Protypa* intelligunt *proplasmata*, *exemplaria (modelle)*, quod vix rei conuenit. Sed fortasse *protypa* eadem, quae *prostypa*.

6. Nec huius generis simulacra cum simplicitate antiqua aboleuere, sed etiam laudatissimis temporibus quaesita sunt: eiusque generis simulacrum Veneris fuit, a Caesare in Foro suo dedicatum.

7. Artis exquisita elegantia in imitandis rerum formis etiam per colores, *Posis* exemplis patet, cuius poma et vuae non poterant a veris adspectu discerni. V. PLINIVS l. c. Plastas nobiles tradunt PAVSANIAS VI. p. 461. 488. PLINIVS l. c. vndique collectos FR. IVNIVS in *Catal. Artificum*. De *Thericle* supra diximus.

8. E *cera* ficta esse non modo *proplasmata* caelatoribus et aliis artificibus, quae magno, interdum operibus ipsis maiori, veniere: sed etiam imagines, Romanus mos in atriis collocandarum cerearum imaginum, et in funerum pompis gestandarum, satis docet. Eas *protomas* fuisse (*bustes*), res ipsa docet. Locus classicus est apud POLYBIVM L. 6. c. 58. et alius apud PLIN. 35, 1. quo et pertinere videtur locus IVVENALIS, *Sat.* 8. in princ. CHRISTIVS noster putabat, fuisse picturas inustas cera: inde ceras dici: sed id non finunt auctoritates commemoratae. Artificium fingendi e cera arti pingendi iungitur apud CICERONEM *Verr.* 4, 13.

9. Hoc

9. Hoc genus, figuras et vaſa e molli aut liquefacta materia fingendi, peperit ſine dubio *ſtatuariam*, e metallo liquefacto ſimulacra fundentem. PLIN. 35, 12.

10. Eius primos auctores faciunt *Rhoecum* et *Theodorum*, Samium, HERODOTVS 3, 60. PAVSANIAS l. VIII. p. 629; X. p. 896. et alii. Rhoeci filii, clari arte, *Telecles* et *Theodorus* fuere, Apollinis Pythii ſtatua nobilitati: quorum de artificio vid. DIODOR. *Sic. L. I. extr.* Poſt a multis tractata, ad ſummam, vt aliae artes, perfectionem venit.

11. Materia ſtatuarum talium aes, interdum Corinthium; ex quo genere Sphinx Hortenſii fuit; aurum, argentum, etiam ferrum. Sed aeris quaſi legitimus vſus fuit, auri et argenti ſerior ambitio Caeſarum, vt Domitiani, induxit. De ferro ſupra exempla poſuimus. adde IVNIVM *l. c. p.* 292.

12. In fundendo porro aere ratio habita eſt primum *temperaturae*, quae eſſet apta ſtatuis: fuit enim varia et multiplex, PLIN. 34, 9. Maſſae centum pondo aeris admiſta duodecim pondo plumbi argentarii, i. e. ſtanni, cum ſelibra, vt facilius fuſum flueret. Atque etiam varietate mixturae colores variauere. Nam v. c. Cyprio aeri admiſcendo plumbo puro, colorem purpureum effecere in praetextis. Deinde aquae et aeris ratio habita eſt, vt duritiem et colorem iuuaret. De aqua ſupra dictum, in cap. de metallis. De modo fundendi artifices conſulendi.

13. Ferrum, cum durius tractatu ſit, raro vſurpatum eſt. Sed ei colorem aeris dedere illito aceto et alumine; aduerſus autem rubiginem

nem muniuere cerussa, gypso et pice: quam temperaturam Graecis *antipathiam* dici, auctor est PLINIVS 34, 15.

14. Statuarum porro varia genera sunt ab varietate magnitudinis et habitus. Ex illa *iconicae* sunt SVET. *Calig.* 32. Gr. *ἰσομέτρητοι*, et *colosseae*; ex quo genere clarissimus colossus Rhodius: ex habitu aliae *pedestres* sunt, aliae *equestres*, quae nobilissima forma est, *togatae* aliae, *palliatae*, etc.

15. Artificii et forma, et vicissitudo eadem, quae in marmoreis fuit, iidemque saepe in eodem genere artifices. Nam et Phidias et Lysippus aereas quoque fecere. Artifices huius generis magno numero sunt apud PAVSANIAM et PLINIVM.

16. In principio per partes fusae sunt, vt etiam marmoreae interdum factae. Eae trunco clauis et fibulis deiunctae, PAVSAN. III. p. 251: cuius generis quasdam, in Herculano repertas, tradit WINKELMANNVS *H. A.* p. 258. etiam cui pallium extrinsecus adiectum esset fibulis. Sed etiam ferruminatione vsi sunt, vt capillorum, et cincinnorum in capite, exemplo ibidem reperto: cuius ferruminationis etiam in aliis operibus, per partes componendis, vsus fuit, vt calicibus apud HERODOT. 1, 25. qui auctorem rei Glaucum Chium facit.

17. Coeptae etiam sunt statuae inaurari, idque non modo testimoniis veterum constat, sed etiam vestigiis auri perspicuis, quae in statuis aeneis, vt M. Aurelii equestri, vt Veneris Mediceae, et Herculis in Capitolio (MAFFEI *Stat.* n. 20.) reperta sunt: nec ita tenuiter cusis, vt nunc, lamellis auri, sed bracteis crassioribus:

quae

quae res etiam ſub terra et humidis locis auri quid conſeruauit.

18. Reliquiae ſtatuarum aenearum maiorum non nimis multae ſunt, auctae tamen nuper ex Herculanenſibus cauernis. Princeps eſt ea, quam modo commemorauimus equeſtris Aurelii, cuius figura ſaepe expreſſa eſt, vt aliarum, inter ſtatuas Muſeorum et locorum publicorum. Minorum ſignorum ex aere copia ſatis magna ſupereſt. Figuras ſignorum et ſtatuarum, aere expreſſas, dedere multi. Huc pertinent MAFFEI *Collectio ſtatuarum*, Romae 1704. f. *Muſea*, *Capitolinum*, *Florentinum*, etc. et aliorum antiquaria opera plura. De vſu ſeparatim dicere, nihil attinet; eſt enim idem, qui ſignorum marmoreorum.

CAP. VII.

DE PICTVRA.

1.

Pictura, quae proprie dicitur, a quo populo, et quo tempore, inuenta et exorta ſit, incertum eſt, Aegyptiis et Graecis de inuentionis gloria certantibus, de aetate autem veterrimis Graecorum diſſentientibus. PLIN. 7, 56; 35, 3.

2. In ſacris quidem libris primum eſt veſtigium eius apud Chaldaeos, EZECH. 23, 14. et quidem minio, vel rubrica, in pariete: apud HOMERVM autem omnino nullum: nam in peplis pictis, et clypeo Achillis fruſtra quaeritur.

3. An-

3. Antiquissimas picturas valde rudes fuisse, communia omnibus ingeniosis artibus initia indicant, et necessitas adscribendi, cuius rei imago esset. AELIAN. *V. H.* 10, 10. ARIST. Top. 6, 2. PLIN. 35, 3. Ceterum cum artibus superioribus, eodemque tempore, hoc est, aetate Alexandri M. attigisse perfectionem videtur. Miltiadis quidem temporibus iam similitudinem oris exprimere potuisse, e NEPOTE colligitur non improbabiliter.

4. Inuentionem primam ductam esse credunt, ab vmbris rerum, quibus circumducendis species earum in plano efficeretur. Sed id *linearis* potius *picturae* initium fuerit, quae sit *graphides*; a qua *graphidos scientia* dicitur VITRVVIO *de Archit.* 1, 1. picturae ipsae μονόγραμμοι; vnde Epicuri Dii *monogrammi*, apud CICERONEM lepide appellati. De ea arte supra diximus, c. V. §. 1. s.

5. Pinxere ab initio coloribus singulis, quae picturae μονοχρώματοι Graecis dictae: paullatim variare colores, et coloribus imitari naturam coepere. In monochromatis illis picturis vsi sunt colore rubro, vel e testis tritis, vt PLINIO placet, 35, 3. post minio et cinnabari, ad extremum rubrica. *ibid.* 7. quod et sacris literis l. c. consentit. Postea cum pluribus, tamen quatuor modo coloribus, sed iis simplicibus et seueris, vsos clarissimos pictores, *Apellem*, *Echionem* (alio loco *Eetionem* habet PLIN. l. 33, 7.), et alios constat, (PLIN. 35, 10. n. 15.) atramento, Sinopide Pontica, melino, et sile, in primis Attico (PLIN. 26, 4). Etenim magis artificii subtilitate decus operibus quaerebant, quam colorum

rum exquisita specie, et nitore, seu hilaritate. Denique, velut per luxuriam, laetiores colores, purpuram, chrysocollam, cinnabarim, et alios adhibuere. Hoc nomine laudat Echionis tabulam Cicero, Parad. V. Hinc duplex genus picturae veteris; de quo egregius CICERONIS locus est *de Orat.* 3, 25. item *Or.* 50.

6. Per illam colorum varietatem picturis accessere primum *lumen* et *vmbra:* nam lumen praestat color candidus, vmbram ater, per quam etiam excitantur colores ceteri; deinde *splendor* et veluti *vigor*, (Gr. *τόνος*) id est, coloris cuiusque *ἀκμή*, quae coloribus recte tractandis efficitur; *transitus* denique *colorum*, vt scite appellat OVIDIVS in descriptione arcus coelestis, *Metam.* 6, 66. *commissuram* PLINIVS 35, 5. Graeci *ἁρμογὴν* dicunt; in qua ipsa picturae perfectio est.

7. Colores non oleo, vt nunc fit, subegere, quod est nouum seculi abhinc tertii inuentum, sed aqua, admistis interdum aliis liquoribus, vt aceto, velut in atramento, ne elueretur. PLIN. 35, 6.

8. Etiam cera pinxere veteres, incertum, quo auctore (PLIN. 35, 11. pr.), genus picturae *encaustum* dicitur: nam *inurebant* ceras (id. 35, 4.), expansas super loco pingendo, vt cameris, foribus, etc. Etiam tingebantur cerae variis coloribus (ibid. 7.). Modus inurendi varie explicatur a recentioribus. In eo genere primus nobilis fuit *Pausias* Sicyonius. (ibid. 11.) Sed et liquefactis ceris, et penicillo pinxisse, idem PLINIVS l. c. auctor est, quae pictura Graecis *κηρόχυτος* dicitur, quia fit *κηρῷ ἐντακέντι καὶ διαχυθέντι.* Vtrumque genus instaurare tentarunt nostra

noſtra aetate plures, non infeliciter, auctore CAYLO, cuius de *Encauſtica pictura* libelli extant, ante non multos annos editi.

9. Alia *encauſtica* pictura fuit in ebore, ductis graphide (veruculo, ceſtro,) candente ſulcis linearum, ſuper quibus, coloribus vſitatis, vt in tabulis, pingeretur. Huius generis picturas *ceſtrota* ab ceſtro vocabant, vt eſt apud PLINIVM II, 37. vbi vulgo male *ceroſtrota* erant: artem ipſam Graeci κέςρωσιν, v. HESYCH. in h. v. Ad eundem modum cornu ſectum in lamellas ad ornandos parietes, aut valuas forium, pingi ſolitum, tradunt PLINIVS, aliique. v. SALMAS. ad *Solin.* p. 164.

10. Picturae primum factae in parietibus, et fornicibus, ſ. cameris, ſuper tectorio, vt in templis, in ſepulcris, etiam in tricliniis: eiusque picturae crebra eſt mentio apud veteres. Ex eo genere ſunt, quae in ſepulcris, et obrutis terra aedificiis, vt nuper in Herculanenſibus, repertae ſunt, et editae in picturis Herculanenſibus, de quibus v. et WINKELMANNVM in *Hiſt. Artis* p. 264. quamquam et tabulis pictis veſtitos templorum parietes, clarum eſt e *Ciceronis Verr.* 4, 55.

11. Factae autem ſunt tales picturae in ſicco tectorio, et in vdo; quas hodie diſcernere haud facile datur. PLINIVS colores quosdam, ait, recuſare vdo tectorio illini, l. 35, 7. et amare cretulam; vt caeruleum quendam colorem, 33, 13. vſus, inquit, in creta, calcis impatiens. Vnde fortaſſe e baſi picturae, et genere colorum iudicari poteſt, in ſicco, an vdo factae ſint.

12. Sed has parietum picturas etiam cera obducere, mos fuit, et ad augendum colorum

ſplendorem, et ad muniendos eos aduerſus vim aeris et humoris: cuius generis quasdam picturas in ſpecubus Retinenſibus repertas memorat WINKELMANNVS *H. A.* p. 286. In locis autem PLINII 33, 7. et VITRVVII 7, 9. quae adfert idem, tantum de minio ſermo eſt, eoque aduerſus vim ſolis et lunae, in locis apertis illinenda cera muniendo.

13. Nec inuſitatae in vitro picturae, quamquam inter Chriſtianos, in templis, in ſepulcris, etc. frequentiores; de quorum reliquiis etiam doctum *Bonarotae* opus extat (*Florent.* 1716. 4.), ſuntque rara, quantum ſcimus, artis melioris exempla. Sed artificii eius modus cum ad obliuionem veniſſe putaretur, in eo inſtaurando artifices quidam elaborauere, eumque praeceptis explicauere: de quibus dicere nihil attinet.

14. Pinxere etiam in marmore, non modo, vt marmorea opera circumlinerent, de quo ſupra diximus *P. I. c.* 2. §. 5. ſed etiam vt imagines in plano marmore fierent; cuius generis quaedam picturae, ſed monochromati reperiuntur in *Picturis Herculan.* T. I. non magni artificii. De hoc genere adeundus CAYLVS *Comm. Acad. Inſcr. T.* 29. *p.* 166. ſ.

15. Vſitatiſſimum et celeberrimum genus picturae fuit in *tabulis*, vnde picturae hae ipſae dicuntur tabulae pictae, fere e larice femina, quod id lignum non facile finderetur, et igni fortius reſiſteret, VITRVV. 2, 9. PLIN. 16, 10. 40. THEOPHRAST. *Hiſt. Plant.* 3, 10; 5, 8. eaque ratio ad proxima nobis tempora manſit. Nam CICERONIS *picturae in textili*, e *Verr.* 4, 1.

ex

ex alio genere ſunt. Sed tamen et Romae pingere *in linteo* coeptum auctore Nerone, PLINIVS 35, 7. 39. et ſunt etiam alia eius generis veſtigia antiqua. Exemplum antiquiſſimum in linteo picturae Aegyptiacae eſt ap. CAYLVM in *Collect. Antiqu. T.* V. *p.* 21. ſ. Sed id non eſt frequentatum. De *picturis vaſorum figlinorum* ſupra dictum.

16. In hoc quoque genere picturarum *circumlitio* vſurpata, eadem, qua in marmoribus, de cauſſa inducendis coloribus, vt atramento tenui, quo Apelles vtebatur (PLIN. 35, 10. n. 8.), aut alio quo colore apto.

17. Proluſio pictoriae fuit, vt diximus, in lineari circumſcriptione corporum et partium ſingularum exteriorum, vt capitis, brachiorum et pedum. Ab hoc initio coepere lineas intus ſpargere, ad vmbram a lumine diſcernendam, auctoribus rei *Ardice*, Corinthio, et *Telephane*, Sicyonio: picturae ipſius, quae proprie dicitur, initia in colore adhibendo: vnde primum facta ſunt monochromata; progreſſus in varietate colorum, et diligentiori membrorum actionumque cum ſymmetria expreſſione. Nec tamen monochromata, perfecta arte, neglecta ſunt. Nam et Zeuxis pinxit ex albo, (hoc eſt, albo colore in nigris tabellis) PLIN. 35, 10, *extr.* vt contra alii, in albis nigro: cuius generis ſpecies eſt in pauimento, in *Cayliana Collect. Ant.* T. 7. tab. 42. De toto genere monochromatum legendus CAYLVS *Comm. Acad. Inſcr.* T. 25. p. 149.

18. *Monochromata* inter Graecos ſunt Candaule rege antiquiora; qui aequalis fuiſſe credi-

tur Romulo. Nam is tabulam talem pictam habuit, in qua praelium expressum esset. *Eumarus*, Atheniensis, primus sexum discreuit; *Cimon*, Cleonaeus, *catagrapha* pinxit, (*figures de profil*) et oris varietatem tentauit, respicientes, despicientes, suspicientesque pingendo, articulos membrorum expressit, venas, et in vestibus sinus, plicas, etc. *Polygnotus* denique vultum emolliuit, os aperuit, dentes ostendit, etc. PLIN. 35, 8.

19. Hic ergo primus operae pretium fecit, post *Apollodorus*, Atheniensis, qui colorum mixturas et vmbrae vsum reperit. Secutus est *Zeuxis*, Heracleotes, iam perfectus pictor, et fiducia artis superbus, cum *Parrhasio*, Ephesino, etiam superiore, (v. CIC. Inu. II. 1. et PLIN. 35, 10. n. 4.) qui symmetriam in picturis perfecit, quae Zeuxi deerat, et *circumscriptionem* figurarum (*extrema lineamenta* appellat CICERO *Or.* 56. *extremas lineas* PLINIVS 35, 10.), in quo principatus artis, iudice eodem, vultus denique argutias et capillos. Ei par, vel superior, fuit *Timanthes*, cuius nobiles picturas veteres memorant, vt QVINTILIANVS 2, 13. et PLINIVS, et alii. Sed omnibus maior fuit *Apelles*, Alexandri aetate, in quo ad summum peruenit ars, et constitit. Nam tabulis eam venustatem, conseruata tamen simplicitate naturae, addidit, quam signis addiderat *Lysippus*. v. PLINIVS 35, 10. Eodem tempore ἤθη et πάθη exprimere coepere *Aristides*, Thebanus, et *Protogenes*, qui propylaeum Athenis pinxit. Vtriusque opera praeclara narrat PLINIVS, l. c.

20. Clarissima hinc genera *picturae*, vt diximus, *in tabulis:* minor honos *parietariae. ibid.*

quod

quod non ceperim ſic cum WINKELMANNO *H. A.* p. 264. vt nullus magnus pictor in parietibus pinxerit: id enim falſum foret; nec id PLINIVS dicit: *rhyparographica*, et *chorographica*, qualia in picturis Herculanenſibus occurrunt, longe infra illa genera, nec tamen ingrata, aut contemta fuere. PLINIVS 35, 10. *extr.* Vſus eorum, parietibus a VITRVVIO 7, 5. attributus, exemplis Herculanenſibus firmatur.

21. Etiam regionibus, et locis, vt nunc, picturae diſcretum eſt ingenium. Nam aliud *Aſiaticum* fuit, aliud *Helladicum.* Hoc genus etiam in *Ionicum*, *Sicyonium*, et *Atticum* diuiſum. PLIN. l. c. Sed clariſſima diu Sicyonia ſchola fuit.

22. Ceterum perfectio artis Graecae cognoſci a nobis ſatis, aut aeque ac ceterarum artium, haud poteſt, toto prope genere tabularum, in quibus principatus fuit, ſublato, reliquiis autem iis, quae nunc extant, ſuntque oppido paucae, auctae iam ex Herculanenſibus ſpecubus, iudice CAYLO (T. III. p. 106.), et BOSIO (*du Bos* in *Reflex. ſur la poeſie et la peinture* T. I. p. 201. ſ.), nulla parte attingentibus celebratam illam artis perfectionem: etſi facile crediderimus WINKELMANNO, in iis, quae Romae ſeruantur, et Herculanenſibus, eſſe exempla praeclari artificii.

23. Neque tamen cum PERRALTO, et aliis antiquitatis obtrectatoribus, recte hinc colligas, inferiorem multo ſcalptura fuiſſe picturam, et veteres per vanitatem mentitos eſſe in iis, quae de operibus eius tradant: praeſertim cum eos veros reperiamus in ceteris artibus, in quibus eorum traditioni res ipſa fidem adſtruit.

v. C. CAYLVM, l. c. add. et ALLATIVM ad *Antiqu. Etr.* p. 141. it. BOSIVM, l. c.

24. Apud Romanos picturae vſus ante fuit, quam Graeci pictores eo veniſſent, ex Etruria eo delatus, vt credibile eſt, quae a Lydis potuit accepiſſe: extiteruntque opera pictoria in parietibus templorum non contemnenda; quae enumerat PLINIVS 35, 4. Graecae tabulae Romam venere primum per Mummium Corintho; fortaſſe ante e Sicilia et Graecia magna; ſed nulla certa teſtimonia ſunt: poſt per Sullam, Pompeium, Caeſarem et Auguſtum. Sua aetate *morientem artem* appellat PLINIVS, l. c. extr.

25. Veteris artis, ſed *Italicae*, opera primum e ſepulcris, et aedificiis, terra obrutis, prolata ſunt ſeculo ſextodecimo, per quae ars reſtitui coepit ingeniis et imitatione *Angeli* et *Raphaëlis;* poſt paullatim et alia, quae aeri inciſa ſpectare licet: ipſa maxima parte interiere, per vim aëris deleta, vt nuper quaedam ex Herculanenſibus, niſi quae inducta ſunt vernice ad arcendam, vel debilitandam aëris actionem. v. *Reflexions ſur la Poeſie et la Peinture T. I. Sect.* 38.

26. Eae reliquiae et ad vſum artis carae eſſe debent, quae per eas, vt diximus, reuixit, et proſunt ad qualemcunque veteris artis intelligentiam; denique etiam ad doctrinam liberalem, in multis rebus antiquitati adferendo lucem, cum ipſae viciſſim accipiant a doctrina: in quo genere etiam barbarae aetatis quamquam rudes picturae, vt in libris ſcriptis, in vitris, proſunt. V. V. C. IO. IAC. REISKIVS in praefatione extrema ad *Conſtantini* libros *de Cerim. Byz.*

27. Hae

27. Hae reliquiae editae ſunt a pluribus: ex eoque genere ſunt: *Picturae antiquae Cryptarum Romanarum*, a *Bartolis* delineatae, a *Io. Petro Bellorio*, et *Michaele Angelo* illuſtratae, *Romae* ſaepe editae, etiam latine a. 1738, quo pertinent etiam reliquae picturae e ſepulcro Naſonum; *Picturae Herculanenſes*, quae ſplendido opere editae ſunt Tomis quatuor; *Collectio Cayliana*, et aliae.

28. Ad hiſtoriam artis antiquae cognoſcendam e veteribus maxime prodeſt PLINII liber quintus et triceſimus, et in eum commentarii, qualis *Londini* prodiit a. 1725. f. quamquam et in ceteris libris quaedam, eo pertinentia, ſparſa ſunt. Propriis libris de antiqua pictura ſcripſere FRANC. IVNIVS, ad vſum doctrinae in primis et intelligentiae veterum ſcriptorum; ad artis ipſius cognitionem, magis TVRNBVLLVS ſermone anglicano *Lond.* 1740. f. quo maxime etiam pertinent WINKELMANNI et HAGEDORNII ſuper hiſtoria artis et natura libri, et alii. De claris artificibus in hoc genere idem ille IVNIVS videndus, et FELIBIEN in vitis pictorum aliorumque artificum, *Treuultii* 1725. 8. De vitis pictorum etiam libellus eſt francicus, editus Pariſiis 1745 et 1752. 4.

CAP. VIII.

DE ARCHITECTVRA.

1.

Architectura ab neceſſitate orta, ingenii humani et morum varietate, et ipſa varie vel emendata, vel perfecta, vel corrupta eſt.

2. Inuentionem eius et perfectionem ſeriorem eſſe ſculptura, putant ruinarum Palmyrenarum editores. Argumento eſt diſcrimen vtriusque in veteribus monimentis, vt in templo Theſei et Mineruae Athenis, in quo ſculpturae quidem perfectio animaduertitur, architecturae non item. Cauſſam eſſe, quod ſculptor ob oculos habeat exemplaria, quae imitetur, et imitetur modo: architecti rem ipſam vniuerſam, et proportiones iuſtas reperire et excogitare paullatim debuere. Tum perfectionem architecturae diutius duraſſe, quam ſculpturae: quod proportiones facilius ſeruentur, vbi ſemel repertae et definitae ſint, quam imitandi lex et ratio.

3. Initia ducunt e *Gen.* 4, 17. fruſtra verbum oppidi metientes ſerae poſteritatis vſu. Nec e *Gen.* 10, 10. aut 19, 28. cum GOGVETO certius quid colligi, eandem ob cauſſam, poteſt. Nam et Athenis primum in ſpecubus agebant, donec lateres inuenirentur, PLIN. 7, 56. Maiora iam ante diluuium Noachicum opera arguit Babylonica aedificatio, ſed publica magis, quam priuata, quae diu ſimplicia et rudia fuiſſe, indicant

reli-

reliquiae illius ruditatis in Oriente et Occidente iam cultiori.

4. Prima aedificiorum, quae proprie dicantur, materia ſine dubio lignum rude et lutum fuere, primum molle et vdum, poſt toſtum ſole, vel igni, vt in Aegypto tempore Moſis, vt Athenis antiquioribus temporibus, PLIN. 7, 56. Inuenta inſtrumenta ferrea demum dolare ligneam materiam, et ſaxa caedere docuere ad aedificandi vſum, incertum, quo tempore. Moſis tempore nondum vſum talem in Aegypto fuiſſe, mentio laterum ad aedificanda horrea regia arguit; nec bene ad ea tempora pyramides ſaxeae referuntur.

5. Ceterum maior illa et propria aedificatio ex arte debetur Aegyptiis et Graecis; illos inopia ligni, et copia ſaxi marmoriſque inuitante; non modo ob lapicidinas immenſas ad ſinum Arabicum, ſed etiam transuectionis per canales facilitatem. Graecos Cadmus fodinas ſaxi et marmoris inſtituere, et ſaxa caedere docuiſſe, allato inſtrumentorum ferreorum vſu, traditur, PLINIVS 7, 56. conf. CLEM. Alex. Stromat. I. p. 307.

6. Aegyptiaca architectura publicorum operum, (nam priuatorum nullae reliquiae ſunt) ſequebatur cum ſimplicitate magnitudinis admirationem, vt e Pyramidibus, Obeliſcis et Labyrinthi reliquiis patet: Graeca cum ſimplicitate, pulcritudinis rectae et ſimplicis gratiam. Reliquus oriens Aegyptiacam rationem ſecutus eſt, Roma Graecorum, quae vna vera lex et norma eſt bene aedificandi.

7. Prima cura in aedificando fuit firmitas, ex eaque orta eſt dimenſionum ratio et ſtructurae: acceſſit paullatim in ſingulis partibus et magnitudo, et forma delectans oculos; in qua et ipſa non pauca primum ad firmitatem quaeſita, vt in columnis, etiam ſpecie, paullatim elaboratiore, placuere.

8. Graecae architecturae opera, clara ex vltima antiquitate, commemorat PAVSANIAS 2, 31. et alibi. Iam Daedalo talia tribuuntur a veteribus, quae vel fabuloſa eſſe, vel incerta fama niti, putat GOGVETVS T. II. p. 386. ſ. HOMERVS quidem nihil habet, ex quo tuto colligas, ipſius aetate magnificentiam aedificandi vſitatam fuiſſe: nec oportet verba, vt porticuum, columnarum, interpretando ad poſterioris aetatis magnitudinem et magnificentiam trahere. VITRVVIVS autem 2, 1. in Areopagi veteris reliquiis nihil tale, omnia alia vidit, vt tectum, e luto factum: nec illa repentina perfectio artis rerum naturae, inprimisque huius ipſius artis, conſentit.

9. Atque etiam magna illa et eximia architectura apud Graecos pariter in publicis modo operibus fuit, priuatis aedibus frugalitatem priſtinam, certe in aedificandi ratione, ſeruantibus, cum domini magis firmitatem et commoditatem ſequerentur, et ornatum internum ad vſus vitae et conuiuiorum, vt in ſupellectili; quod etiam ex Homericis aedium Menelai, Alcinoi et Vlyſſis deſcriptionibus patet, et aliorum ſcriptorum veterum teſtimoniis, in his *Dicaearchi* de *Statu Graeciae* p. 8. T. II. *Geographorum Hudſo-*

Hudsonianorum, etiam *Demosthenis Olynth.* 3. p. 38. ed. *Wolf.*

10. In principum aedibus atria fuisse, et porticus ad defendendam solis vim et pluuiae, clarum est *Homeri* locis: tecta plana, vt in Oriente, fuere: columnae porticuum ligneae. Sed ab hominum aedibus, in quibus necessitas et commoditas porticus repererat, tractae sunt ad templa, et alia opera publica, ad theatra, gymnasia, et fora, etiam *basilicae* dictae; in quibus maxima pars magnificentiae fuere, propter altitudinem et pulcritudinem: quamquam hae etiam intus in templis, ad arcuata tecta sustinenda, structae sunt primum, propter aedium ipsarum laxitatem, deinde, ad ornatum. Templa etiam tecta elatiora, ad nostrorum modum, habuere, et in summo fastigia (ἀετὸς, ἀετώματα) CIC. *Or.* 3, 46. SALMAS. ad *Script. Hist. Aug.* T. I. p. 676. adde et nostra ad SVET. *Caes.* 81.

11. Atque hinc orta est nobilissima illa antiquae architecturae pars, quae est de *ordine columnarum* triplici, *Dorico*, *Ionico*, *Corinthio*; de cuius originibus primis pariter incerta sunt omnia; ne Vitruuiana quidem narratione, 4, 1. satis certa, aut probata intelligentibus. v. GOGVETVS *T. II. p.* 405. f.

12. Illud certum est, antiquiores esse Doricum et Ionicum, ortosque in Asia, in coloniis Graecis, Dorica et Ionica; inde ad Graecos Europaeos cum transissent, exquisitius instructos et ornatos esse ab Corinthiis artificibus. Sed in his quoque Doricus, vt simplicior, ita antiquior est.

13. In

13. In *Dorico* genere columnae non habebant bases, vt patet ex earum reliquiis; quarum exemplum etiam nuper in DORVILLII *Siculis* (P. I. p. 54. 97. 99.) editum est; nec earum apud VITRVVIVM in descriptione est mentio vlla: eas addidere Iones. Ratio diametri ad altitudinem non semper eadem fuit. In antiquissimae simplicitatis exemplo, in *Ruinis Graecis* (P. II. p. 2.) est quintuplex; altera, et melior, sextuplex fuit; denique recentior et mollior septuplex, in templo Augusti Athenis deprehensa (*ibid.* p. 13.).

14. *Iones*, graciliores facturi columnas, diametro octauam primum altitudinis partem attribuerunt, post octauam cum semisse: additis in superficie striis, (quae tamen et in antiquissimis Dorici generis repertae sunt) in capitulo volutis, velut cincinnis capitis, aut arboris pendentibus foliis, cum noua trabeatione, et minori ipsarum columnarum interuallo.

15. Hanc gracilitatem et hunc ornatum columnarum auxere *Corinthii*, addito superne abaco, infra acantho hortensi, vt species calathi efficeretur, a qua capitulum ipsum appellatum est. Paullatimque plura columnis ornamenta addita, quorum origines et caussas narrat VITRVVIVS 4, 2. adde PHILANDRVM de columnis ad *Vitruuium:* in primis editorem *Ruinarum Graecarum*, P. II. vbi de architectura vetere, et columnarum ordinibus ex obseruationibus nouis differitur.

16. In columnis perfectis ad intelligentiam veterum oportet scire, imam esse *basin* cum *stylobate*, medium *scapum*, summum *capitulum:* in

in aedificationibus capitulo imponi *epiſtylium* (*l'architrave*), huic *zophorum* (*la friſe*), qui ſuſtinet *triglypha* et *ſcalpturas* (*la corniche*), eaque dicitur in artc trabeatio (*l'entablement*). Ceterae partes artis ſtudioſis cognoſcendae relinquuntur.

17. Ordinis porro Dorici et Ionici vſus diutiſſime, etiam in Europaea Graecia et inſulis Graecis manſit; nec id modo teſtibus antiquis creditur, ſed etiam in ipſis templorum reliquiis cernitur: Corinthius, vt opinor, venuſtior et argutior viſus eſt, quam pro dignitate et maieſtate templorum, denique grauitate religionis; quod et VITRVVIVS I, 2. agnoſcere videtur. Nam omnino in ſacris antiqua ſimplicitas et gravitas placuit: itaque et in hymnis Dorica fere dialectus probata eſt.

18. Sed praeter haec tria genera columnarum ſunt duo alia, *Tuſcanicum*, et *Italicum*: illud ſimillimum Dorico; ſed ſimplicius Doricum antiquiſſimum. Haec ſimilitudo, locum faciens confuſioni in parum attentis, ſuadet coniicere, id genus antiquiſſimis temporibus ex Aſia in Etruriam veniſſe. *Italicum* recentius eſt, vt cuius ne VITRVVIVS quidem mentionem facit, mixtumque e Ionico et Corinthio; vnde et *compoſitum* appellatur; nam in capitulo v. c. habet Corinthium calathum et Ionicas volutas; quae eſt manifeſta κακοζηλία ornandi, officiens magis verae pulcritudini, quam ſeruiens.

19. Memoratur et a VITRVVIO I, I. *Ordo Caryatidum;* quae ſunt figurae mulierum ſtolatarum pro columnis: cuius exemplum Athenis in templo

templo Erechthei reperit *Ruinarum Graecarum* editor. v. P. II. tab. 21.

20. Sed haec ratio exornandi opera per porticus migrauit paullatim in aedes humanas, palatia, et villas Regum, Principum et locupletiorum hominum, in primis apud Romanos, initio facto a Lucullis: suntque libri Latinorum pleni vestigiis huius magnificentiae, vt CICERONIS, PLINII, STATII *Siluae* (v. in *Tiburtinum Vopisci*, in *Surrentinum Pollii*).

21. Accessit magnificentia e marmoris pulcritudine et varietate, columnarum altitudine et densitate, porticuum ipsarum longitudine et laxitate; quippe et milliariae sunt, (SVETON. *Ner.* 31.) item duplices ac triplices: a qua magnificentia, *basilicae*, *regiae*, sunt appellatae (v. *Excurs.* ad SVETON. *Aug.* 31.) Huius magnificentiae exempla sunt in *Ruinis Palmyrenis*, et alibi, add. *Gothofr.* ad *Cod. Theod.* l. 45. de *oper. publ.* vbi et *tabulata*, (i. e. Maeniana) inter intercolumnia memorantur, vt statuae ad columnas singulas, et in intercolumniis, apud CICERONEM *Verr.* 1, 19.

22. Alia magnificentiae et cultus genera multa in publicis priuatisque aedibus fuere, vt *scalae*, sine quibus templum nullum, auctore CICERONE, *forium* exornatio in postibus per testudinem (PLIN. 9, 13.), in valuis per sculpturas, emblemata (CIC. *Verr.* 4, 56.), vt *trichora* (SALMAS. ad VOPISCI *Pescenn.* c. 12. et MARKL. ad *Stat. Silv.* 1, 3, 58.), vt *tegulae* pictae, auro inductae, marmoreae (LIV. 42, 3.) *antefixa* (LIV. 26, 23.) *fastigia*, quae propria templis, CIC. *Or.* 3, 46. v. *Clav. Ciceron.* in h. v.

23. In

23. In interioribus aedibus cultus magnificentia fuit, primum, in pauimentis, quae vel marmoris varii maioribus ſegmentis ſtrata eſſent, Graece *lithoſtrota*, vel teſſellis minutis, ad varias figuras rerum velut pictura quadam, (quo nomine et ars appellata eſt) exprimendas ſtructis arte, vnde et *teſſellata* dicta, itemque *vermiculata*, et *muſiua:* ſed muſiua haec opera e pauimentis in parietes atque cameras ſublata ſunt, PLIN. 36, 26. Marmoris loco, poſt Auguſti tempora, in parietibus et cameris vitrum figuratum et pictum, ſ. coloratum varie, vſurpatum, auctore eodem l. c. PLINIO: adde de vitreo genere CAYLVM T. III. p. 193. in pr. T. I. p. 293. ſqq. Operum muſiuorum reliquias multi edidere, SPONIVS, MONTEFALCONIVS, CAYLVS, etc. opere proprio CIAMPINVS, *Rom.* 1690. f. Vix clarius eſt Praeneſtino, quod et TH. SHAW *Itiner. p. m.* 354. exhibet, et illuſtrauit in primis BARTHOLOMAEVS V. C. libello ingenioſo in *Comment. Acad. Inſcr.* et ad calcem *Picturarum*, a CAYLO collectarum. De muſiuis operibus vniuerſis, praeter CIAMPINVM, et Furiettum, adeundum *Gloſſarium* CANGII in *Muſiuum Opus.* Pauimenta magnifici operis in templis etiam ap. S. BERNHARDVM occurrunt in Epiſt. ad Guil. Abb. S. Theodorici.

24. Sed in ornatu parietum etiam alius vſus marmoris et vitri fuit; nam et *cruſtis* marmoris varii, tum plani, tum caelati, inducti ſunt, auctore, vt PLINIVS tradit, 36, 6. Mamurra; et ſegmentis poſtea vitri; vnde *quadraturae vitreae* in parte magnificentiae e copiis diuitiarum commemorantur a VOPISCO in *Firmo*

G. 3.

c. 3. et *orbes pretiosi* in parietibus apud SENECAM Ep. 87. vbi tamen marmoreos vulgo intelligunt. v. et BONAROTAM praef. *Obs. in Fragm. vitri ant.* p. VI. Nec minus *eboris caelati* ad eum vſum et mentio eſt, et exempla reperiuntur, vt ap. CAYLVM T. V. p. 230. Alium parietum ornatum e picturis in tectorio ſupra commemoravimus.

25. Sed eum habuere, ſicut ſuperiorem operis muſiui, communem cum camaris: *tecta laqueata*, ſ. *lacunaria*, et picta (Gr. φατνώματα) varie ſunt, et lita auro, diſtincta gemmis, margaritis. De eorum ſtructura bene VALESIVS ad *Euſeb. vit. Conſt. M.* 3, 32. quem compilauit ſecure HARDVINVS ad *Plin.* 35, 11.

26. Deſcriptio ipſa aedium priuatarum magnificentior fuit haec: primum aditum dat *veſtibulum* (Graecis προαύλιον), inde venitur in *atrium* (Gr. αὐλὴν), quod porticibus circumcluditur (Gr. περίϛυλον); in quibus bibliothecae, vt in Auguſti atrio, et alia: hinc *aedes* ipſae; de quarum partibus dicere nil attinet: extat de iis liber GRAPALDI, ſaepe repetitus. Poſt eas *impluuium;* in quo ara Deorum penatium; v. *Clau. Cic.* in h. v. In villis diſtinctio eſt vrbanarum partium, i. e. ad ſimilitudinem vrbanarum aedium ſtructarum, quae habitantur a Dominis, ab ruſticanis, ad vſum rei villaticae, vt apud VARRONEM de *Re. ruſt.* In illis *trichora*, *praetoria*, *triclinia*, *cubicula*, *diaetae*, etc. memorantur. De ceteris generibus operum publicorum, vt theatris, circis, amphitheatris, etc. in quibus architecturae artificium expromtum eſt, dicere hoc loco non attinet.

27. Ar-

27. Architectura vt primum per Asiaticas et Graecas colonias in Italiam venit, i. e. Etruriam et Graeciam magnam; ita post ex iisdem locis Romam, viguitque Caesarum aetate prima: post, seculo secundo, per κακοζηλίαν corrupta magis, indies vitiosa facta est; donec barbaries ingruentium populorum eam plane deleuit.

28. Instauratio bonarum literarum, dum totis viribus agerent hoc eius auctores, vt omnes antiquitatis reliquias indagarent, per quas lux affunderetur auctoribus latinitatis et literis, aditum fecit ad architecturae veteris primum cognitionem, et, bonitate eius animaduersa, etiam imitationem.

29. Primum reliquiae illae Romanae per Italiam et vicinas regiones spectatae sunt modo ab eruditis viris, et libris vulgatae sunt ad vsum literarum bonarum, donec a Mediceis incitati artifices eas figuras, et reliquias ipsas, spectare coepere ad vsum artis. Post etiam in Graeciam et Orientem reliquum plures profecti sunt ad quaerenda et inspicienda huius generis opera, in primis missu Ludouici XIV. Regis Franciae, vt formas eorum descriptas reportarent; denique etiam quidam priuatim eo abierunt, et multa, ad architecturam veterem pertinentia, retulere.

30. Ex iis itineribus nihil pulcrius hoc in genere accepimus *Ruinis*, primum *Palmyrae*, Lond. 1753. et *Balbek*, 1757. ibidem magnifice editis, a Britannis duobus, WOOD et DAWKINS, deinde *Graeciae* per architectum Regis Francici, (LE ROY) Paris. 1758. f. *Athenarum*

 per

per ROB. SAYER, *Palatii Diocletianei* in Dalmatia per R. ADAM. 1764.

31. Sed et alia opera antiqua, vt templa, theatra, amphitheatra, porticus, arcus, aquaeductus, balnea, mausolea, pyramides, obelisci, et similia, a pluribus edita laminis aeneis, et illustrata sunt literis, quae in altero genere antiquitatum enumerari et explicari solent, magnoque numero dat FABRICIVS in Bibliogr. Antiq. C. 22.

32. Artifices, ex hoc genere claros, eorumque opera nobilia enumerant FR. IVNIVS ad calcem operis de pictura vetere, et FELIBIEN, eodem, quo de pictoribus scripsit, opere. De vniuersa architectura veterum eruditum Commentarium habemus WINKELMANNI.

EX-

EXCVRSVS

AD

ARCHAEOLOGIAE LITERARIAE

CAPITA SINGVLA

VEL POTIVS

EORVM LOCA SINGVLARIA.

EXCVRSVS I.
AD
PROLEGOMENA.

Complures viri eruditi, Auctorem immortalem, ac de disciplinis aliis longe meritissimum, in explicanda et secernenda *Antiquitatis* in vniuersum, τȣ̃ *Antiqui* sigillatim, adeoque etiam *Archaeologiae*, notione non satis subtiliter versatum esse, contendunt. Nec immerito, si quid video. Postremum enim vocabulum, si per se spectes, eiusque notationem siue ἔτυμον simul respicias, expositionem rerum antiquarum, siue disputationem significat de rebus antiquis, h. e. antiquitus vel gestis, vel institutis et sancitis, vel consilio diuerso diuersa ex materia factis efformatisque per homines satis ingeniosos, vt id, quod cupiebant, facilius et rectius consequerentur. Quo sensu latissimo si accipias vocabulum, de quo quaerimus, id complectitur ea omnia et singula, quae, ex priscis temporibus quocunque modo seruata, ad nos peruenerunt. Supersunt autem primo *scripta*, tam ἀπόγραφα in Codd. MSS. quam αὐτόγραφα in lapidibus, metallis, rebus aliis; tum *opera artificum manu facta*, eademque non solum qua rationem, sed etiam qua consilium vsumque maxime diuersa, vt, signa, simulacra, templa, aedificia, alia: quorum alia sola per se existunt, reique cuiuspiam imaginem sistunt, alia in materiis aliis aut caelata, aut incisa; alia denique rerum simulacra sola suppeditant, alia non sine litteris, ea quasi comitantibus; tandem varii generis vtensilia, vasa, instrumenta, sacra, domestica, bellica, chirurgica, mundus muliebris, cet. De quibus omnibus

 si qua

si qua disciplina recte et ordine; docte et ingeniose disputet, vel potius philosophetur, rerum priscarum origines et progressus, caussas, vsum, vicissitudines, singularum recte eleganterque fingendarum viam et rationem, et inde natam venustatem describat, et praeter haec populorum singulorum, quorum viris sapientibus, fabrisque ingeniosis, et artificibus haec omnia debentur, res gestas, instituta sacra, ciuilia, bellica domestica, cet. exsequatur; eam iure quodam suo 'Αρχαιολογίαν,' sensu latissimo acceptam, vocare possis. Verum huiusmodi res tam multiplices, tam varias, et tam discrepantes nemo, quem quidem sciam, in disciplinae vnius formam redegit, nec fortasse redigere, et, qua decet, copia, dexteritate, intelligentiaque explicare potest. Hinc viri eruditi tam ingentem rerum priscarum vim et copiam in classes distribuere, et de nonnullis sigillatim exponere, quin τῷ Αρχαιολογίας vocabulo vim minus late patentem subiicere coeperunt. Id quod Αρχαιολογία duplex, quam habemus, satis demonstrat: alteram, Ιȣδαϊκὴν, scripsit Flauius Iosephus, alteram, Ρωμαϊκὴν, Dionysius Halicarnassensis; eademque ille quidem de Iudaeorum, hic de Romanorum rebus, domi bellique gestis, ipsorum institutis sacris et profanis, ciuilibus et militaribus, legibus, moribus, exposuit, atque adeo vtriusque populi historiam persequutus est, neglecta, vel leuiter saltem tacta ratione ea, quam in operum antiquorum, affabre factorum, indagatione studioque sequendam esse censent viri, harum rerum prudentes. Alia ratio est Αρχαιολογίας Graecae, quam promulgauit Io. Potterus, Britannus, qua quidem *Graecorum antiquitates*, quae vulgo dicuntur, h. e. instituta sacra, ciuilia, bellica, publica, priuata, mores, leges et iura exposuit, neglecta ratione ea, quae ad ipsorum historiam, opera ingeniose affabreque

facta,

facta, et horum praestantiam, venustatem, vsus, cet. pertinet. De *Archaeologia Britannica* ea, quam compluribus abhinc annis diuulgare coeperunt Britanni quidam doctissimi, rei antiquariae studiosi, non attinet dicere; quoniam huius editores consilium longe aliud sequuntur, ac quod propositum est iis, qui hodie Archaeologiae rationem, vim, vsumque explicare adgrediuntur. Id quod demonstrare placet, enucleata *Antiquitatum* in vniuersum, et τῦ *Antiqui* sigillatim natura, et notione. Priori vocabulo comprehendere iussit vsus,

quem penes arbitrium est, et ius, et norma loquendi,

ciuitatis cuiuscunque, vt, Atheniensis, Romanae, cet. statum omnem, adeoque rationem sacram, profanam, ciuilem, bellicam, publicam, priuatam, instituta, ritusque omnes, mores, cet. verbo, ea omnia, quae in Potteri, Bosii, Rosini, Nieupoorti libris, ac similibus, tradita et exposita legimus. Talium antiquitatum studium, quo ducentos annos, amplius, occupati delectatique sunt viri eruditissimi, ac cui libros, ingentium thesaurorum materiam, debemus, per se quidem necessarium est, et ad antiquitatis scriptores recte intelligendos atque interpretandos vtilissimum: sed id nihilo secius maximopere discrepat ab illa Αρχαιολογίας idea et ratione, quam hodie viri ingeniosi et acuti mente sua efformatam tenent, atque tuentur, et quam breui post explicare placet. Vtriusque studium in multis conspirat quidem, nec raro easdem *res antiquas*, siue antiquitus factas, sibi subiectas habet, quas tractet, et in quibus considerandis, comparandis, explicandis versetur. Quoniam vero hoc diuersa via et ratione, diuersoque consilio et fine fieri potest, et solet etiam: id, quod diximus, discrimen inde nascatur, oportet, diuersusque et

 scopus,

ſcopus, quem petere, et vſus, quem inde percipere volunt viri docti, alterutrius ſtudio vacantes. Poſterius, i. e. τῦ *Antiqui* κατ' ἐξοχὴν vocabulum, coeptum eſt vſurpari a viris, harum rerum prudentibus, de opere quocunque, antiquitus ex materia quacunque ingenioſe, eleganter, venuſte facto, ita vt non ſolum oculos ſuauiter feriat delectetque partium ſingularum conuenientia et proportione, ſed etiam artificis intelligentiam, ingenium, manusque dexteritatem prae ſe ferat, et vſui, cui deſtinabatur, accommodatiſſimum ſit. Quo pertinent nullius non generis ſigna, et rerum variarum ſimulacra, eademque fuſa, ſcalpta, ſculpta, ficta, caelata, picta, cet. ſiue ſola per ſe, ſiue cum aliis coniuncta, vt negotium qualecunque ſimul peragere videantur (qualia Itali *Gruppi*, et Franco-galli *des Groupes* vocare ſuerunt); ſiue litteris prorſus carentia ſint, ſiue litterata, vt numi antiqui, ſtatuae et protomae, in quarum baſi, gemmae, in quarum ora, nonnunquam litterae reperiuntur; item integra aedificia, templa, vel eorum ruinae ſuperſtites; tandem omnis generis vtenſilia, vaſa, tripodes, lampades, cet. Interim ne haec quidem omnia ſunt ita comparata, vt ad τῦ *Antiqui* claſſem referri ſoleant, ſed ea tantum, quae artificis ingenioſi manu, venuſta forma, elegantia et quadam quaſi gratia ſeſe potiſſimum commendant. Huiusmodi *opera antiqua* qui indagare, et ſuper eorum materia, ſtatu et fabrica, recte conficiendi ratione, legibus, et inſtrumentis, attributis et horum inuentione, conſilio et ſignificatu, venuſtatis cauſſa et quaſi fonte, item partium ſingularum concentu philoſophari, et quidquid in eis recens adiectum eſt, a vere antiquo ſecernere, ſanamque criticen in toto hoc negotio adhibere diſcit: is *Archaeologiae*, qualem hodie dicunt plerique, operam dare cenſendus eſt. Eiusmodi autem

liber,

liber, quo haec omnia recte et ordine, prudenterque exſequendi praecepta certa, vera, ex rerum natura petita, et conſilio ſatis idonea continentur, iure quodam ſuo *Archaeologiae* nomine inſcribitur. Qualem libellum ſuum non eſſe cernens ERNESTI ὁ πάνυ, eum *Archaeologiae litterariae* nomine inſignitum voluit: vtpote quo longe plura, ad varia litterarum genera vtiliſſima et neceſſaria, quam ad operum antiquorum praeſtantiam venuſtatemque videndam atque diiudicandam fructuoſa traduntur. Quid? quod initio ſaltem, quo loco *antiquitatis cognoſcendae duplicem rationem* eſſe contendit, non ſatis perſpexiſſe videtur, aliam praeterea, nimirum *tertiam* inueniri poſſe, quin a nonnullis inuentam eſſe operum antiquorum reliquias ſpectandi, ac ſuper illis hac, qua diximus, via et ratione philoſophandi. Quod tantum abeſt, vt vitio vertendum et exprobrandum, vt potius ignoſcendum eſſe cenſeam Viro, alioquin eruditiſſimo, et de alio litterarum genere immortaliter merito. Credibile etiam opinor, Ipſum, quae eius erat ſagacitas et ingenii vis ſingularis, in hac τȣ̃ *Antiqui* ſpectandi, indagandi, diiudicandi ratione progreſſus facturum fuiſſe non vulgares, ſi Ipſi iuueni contigisſet, vt magiſtros, praeceptiones ſimiles, certamque viam ad hanc rationem conſequendam, in ſcholis ſuis demonſtrantes nanciſceretur. Sed ſaeculi iſtius genius talia deſpiciebat, ratus, huiusmodi ſtudium non niſi ad artifices pertinere. Quo etiam factum eſt, vt ante Erneſtianum libellum exſtaret nullus, quo haec ratio et praeceptiones, ad eam recte ſequendam vtiles ac neceſſariae, traderentur. Libri fere ſimilis rationem et σκιαγραφίαν ſuppeditauit quidem auctor Franco-gallus, IACOB. SPONIVS, medicus ac rei ſimul antiquariae amantiſſimus, in praefatione, qua *Miscellanea eruditae Antiquitatis*, Lugduni MDCLXXXV.

G 5 fol.

fol. in lucem exire iussit. Hic eiusmodi librum *Archaeographiae* nomine inscribi, et vniuersam eius materiam octo capitibus explicari posse ratus est, ita, vt Cap. primum *numismatographiam;* alterum, *epigrammatographiam;* tertium, *architectonographiam;* quartum, *Iconographiam;* quintum, *glyptographiam;* sextum, *toreumatographiam;* septimum, *bibliographiam;* octavum denique, *Angeiographiam* vocando, persequeretur. Quas singulis capitibus res antiquas, veluti materiam, quam tractent, et in qua versentur, subiectas voluerit, hic copiosius exponere non attinet. Verum nec ipse, libri consimilis auctor suasorque, nec quisquam alius, quem quidem sciam, tale negotium suscipere, atque haec omnia, siue seruato, siue mutato rerum ordine, satis explicare voluit. Interim in hac ipsa litterarum vniuersitate Lipsica, ante quinquaginta iam annos, iuuenum, res similes addiscere et hac ratione spectare cupientium, inueniebatur magister. Nimirum Io. Frider. Christius, vir multis nominibus celeber, ac doctor singularis, qui, quam Ipse in pictura lineari conficienda non parum exercitatus, spectandoque et examinando, per itineris opportunitatem, complura vetustatis opera ingeniose venusteque facta, quasi imbiberat gustus elegantiam, atque intelligentiam, liberaliter transfundebat in iuuenes Generosissimos atque Nobilissimos, ipso praeceptore vti haud dedignatos; quique, praeterquam multis aliis, mihi quoque omnem huius studii amorem, et talium deliciarum, siquis in me inest, sensum instillauit; eo quod in scholis cum super antiquitate Rom. tum maxime super re litteraria in vniuersum habitis, numos, idola, alia, e thesauro suo depromta, ostentaret, et eorum rationes explicaret. Verum vir eximius, vt plerorumque, qui ipsum audiebant, vtilitatibus consultum volebat, et paucissimis tantum

tantum contingere sciebat, vt τȣ̃ *Antiqui* studium in itineribus et diuturnis et sumtuosis persequi possent et quasi absoluere: ita suis in institutionibus litteraturae vniuersae epitomen, quam *solius Antiqui* notitiam et rationes tradere et explicare maluit, ideoque multa simul complecti, quae viro cuique erudito ad res multas prodesse, illiusque scientiam augere possent. Id quod magistro huic praestantissimo in primis propositum fuisse, plane demonstrant Ipsius praelectiones: vtpote cuius, docentis, verba et placita, per nonnullos calamo excepta, et deinceps in ἀπογράφοις cum aliis communicata, itaque sparsa, multis iamdudum et emolumento, et ornamento fuisse constat, ita tamen, vt horum non pauci sortem graculi illius (Phaedr. l. I. fab. 13.) commeruisse videantur. Vnde non male fecisse iudicandus est Io. Car. Zeunius, quod praelectiones istas, multorum manibus iam tritas, et multis in ἀπογράφοις deprauatas, e pluribus libris manuscriptis, inter se comparatis, descripsit, variisque additamentis auctas, in lucem emisit, Lipsiae A. O. R. MDCCLXXVI. forma quidem octopartita. Libellus enim, publici iuris factus, impedimento iam est, quo minus alii similis plagii culpam contrahere possint. Quod autem Christio, in praelectionibus, quas dixi, habendis propositum fuit; hoc idem fuisse videtur Ernestio, tam in simili praelectionum ratione, quam in libello, quem denuo edimus, scribendo et promulgando. Vnde hunc *Archaeologiae litterariae* nomine inscribendum vidit: quo sese litterarum potius vniuersarum, quam operum, ab antiquitatis artificibus ingeniose et affabre factorum, rationem habere satis significauit. Aliquamdiu post omnem *Archaeologiae, Antiquitatum*, et τȣ̃ *Antiqui* κατ' ἐξοχὴν rationem multo subtilius indagauit et explicauit ὁ πάνυ Heynius, tum in Elogio Winkelmanniano, tum in *Intro-*

ductione

ductione in τȣ Antiqui studium, quam in scholis academicis plenius enucleare, et qua veluti duce, singulis, qui ipsum audiunt, instillare solet praeceptiones ac leges, quibus imbuti opus quodque antiquum ingeniose et affabre factum, vere recteque et diiudicare, et aestimare possint. Huius generis Archaeologia paullo copiosius et enucleatius scripta nondum exstat: et quamquam optabile est, vt vir quispiam eruditus et praesidiis necessariis instructus hoc saxum voluere velit; tamen ob ingentes difficultates (v. Heyn. Elog. Winkelm. p. 32. f.) similem librum, omnibus quidem numeris et partibus perfectum et absolutum, hoc tempore exspectare, quin ne sperare quidem licet, propterea quod pleraque artificum antiquorum opera, huc, illuc dissipata, adseruentur, vel in oppidorum, misere euersorum, ruderibus sub terra lateant. Viro litterarum optimarum studioso, sufficere potest, si, quae eorum? et cur longe praestantissima sint? quibus locis suspendant vultum mentemque velut picta tabella? quibus in libris delineata reperiantur? didicisse haud grauatur. Cui per tempus, vitae institutum, reique familiaris rationes licet, vltimas terras peragrare, et quae vbique locorum exstent opera antiqua, intueri et examinare; is veris accommodatisque praeceptis imbutus, haud dubie insignem ex eis spectatis consideratisque capiet delectationem, quin sensum et gustus elegantiam non illiberalem, aut homine docto indignam. Interim ne ille quidem, me iudice, reprehendendus est, qui, eiusmodi opera spectans, simul animaduertit, quae ex iis veluti mutuari, et ad ea, quae ab ERN. §. 2. memorantur, plenius intelligenda et explicanda prudenter vsurpare possit. Etenim priscae artis monimenta vel eo singularem afferunt vtilitatem, quod res multas spectandas contemplandasque sistant, quarum descriptiones vel notiones

notiones satis claras et adaequatas ex scriptorum antiquorum verbis plerumque perpaucis haurire non possumus: quo ipso verum esse confirmant Horatianum illud (A. P. v. 180. ss.)

> Segnius irritant animos demissa per aurem,
> quam quae sunt oculis subiecta fidelibus, et quae
> ipse sibi tradit spectator.

Id quod non temere et inconsiderate statuere mihi videor. Quantam enim vim habeat prudens operum priscorum spectatio, et quam fructuosa et efficax sit ad intelligentiam et gustus elegantiam quasi gignendam et animis instillandam, plane apparuit ex instauratione artium pulcrarum, non nisi inde initium ducente. Nimirum coeperant iam inde a Saeculo XIV. et XV. nonnulli picturae rationem emendare. Sed, quod sequebantur, tum demum felici successu assequuti sunt, quum in effossis variis monimentis sepulcralibus, maxime vero Titi, imperatoris, thermis, et harum quidem *septem fornicibus*, (quos Italice *le sette celle* vocabant, et in quorum vno Laocoontis σύμπλεγμα, stupendo prorsus artificio confectum, feliciter latuerat) reperissent *picturas parietarias:* quas idemtidem spectando, imitando, certas artis suae leges inde capiendo, et aliis in locis et laboribus prudenter ingenioseque adhibendo Sanctius Raphael, Vrbinas, hoc adsequutus est, vt vel hodie recentioris aetatis pictorum primus ac princeps censeatur. Et quamquam fornices illi, posthac prorsus neglecti, denuo variis ruderibus et ruinis obruti sunt ita, vt verus eorum locus hodie prorsus ignoretur: fructus tamen, quos, praeter Vrbinatem, alii ipsius aequales et successores ex istis ceperant, vel ad aetatem nostram pertinent: siquidem artifices ingeniosi, tum degentes, in tabulis a se pictis, veram artis rationem osten-

ostenderunt, certissimasque praeceptiones ac veluti leges posteris tradiderunt. Praeterea eodem fere tempore *libri mss.* qui tum soli erant, aestimari sunt coepti, a Dante potissimum et Petrarcha, qui lectitandis operibus, quae veteris Graeciae Latiique scriptoribus, poetis potissimum, debentur, ipsi exstitere poetae singulares ac praestantissimi, carminibusque eleganter et ingeniose scriptis, effecerunt, vt alii quoque eadem priscae aetatis scripta, quaererent, colligerent, et lectitando gustus elegantiam pedetentim contraherent. Quod eiusmodi libros conquirendi legendique studium deinde ad Franco-gallos, Germanos, alios, transiisse constat: eoque facto litterarum elegantiorum splendor fugauit tristem barbariem et squalorem, quo, quasi foedatae, plane nullos, nedum mirabiles excitare potuerant sui amores. Et quoniam prudentes scriptorum veterum lectores in eis locos, ad architecturam et artes alias pertinentes, offendebant, quorum veram sententiam, quin ne singulorum quidem verborum vim peruidere poterant: aedificiorum priscorum rudera et columnarum reliquias effodiendas, indagandas, et cum dubiis auctorum locis comparandas esse intellexerunt, vt, quae vera similium locorum verborumque mens esset, perspicerent. Et quoniam hac via peruentum erat eo, vt priscae aetatis architecturam multo praestantiorem et venustiorem fuisse cernerent, quam quae in aedibus sacris et arcibus exstruendis adhuc dominata esset: praeter paucos alios, Laurentius, Cosmi F. Mediceus, Florentiae coepit scholas instituere, quarum magistris imperatum erat, vt iuuenes, futuros artifices, priscae artis opera, vt, signa, statuas, columnas, alia, graphide quam accuratissime delineare, picturaque lineari primum exhibere, itaque satis exercitatos statuas, columnas, tabulas pictas, alia, pro suo quemque

que ingenio, elaborare iuberent. Quibus ex ſcholis non pauci artifices eximii, ſtatuarii, pictores, architecti, tanquam ex equo Troiano egreſſi ſunt. Quorum omnium haud dubie primus et princeps exſtitit Michael Angelus Buonarottus. Ceterum hoc idem, quod ſupra diximus, Codd. MSCC. conquirendi, atque operum vetuſtorum reliquias vel e telluris latebris effodiendi ſtudium, hunc ſimul attulit fructum, vt *lapidum titulos* adhuc neglectos, diutius negligere nollent viri litterarum amantes, ſed eos aut ipſi deſcriberent, aut per alios deſcribendos curarent: intellecto, multa iis contineri, quae ad hiſtoriam priſcam, chronologiam, antiquitates, criticen, linguae copias augendas pertinerent, item alia inde peti poſſent. Progreſſi deinceps ſunt ad *rei numariae* ſtudium; ita tamen, vt non niſi *numos Latinos* maximi facerent, hosque in primis conquirerent, deſcriptos interpretarentur et ad hiſtoriam Rom. illuſtrandam confirmandamque adhiberent. Quo in ſtudio erratum eſt, eo quod primum *numos Graecos*, Latinis longe fructuoſiores, ſi non deſpexerunt, certe quidem non, vt par erat, aeſtimarunt; tum quod artificii, in numis conſpicui, rationem habuere nullam. Porro in pretio eſſe et conquiri coeptae ſunt *gemmae* tam *ſcalptae*, quam *caelatae;* quas non ſecus, ac reliqua vetuſta artis opera, conſiderare et tractare aliquamdiu fuerunt. Tandem demum, qui poterant, *ſtatuarum* quoque integrarum rationem habere, eas, vbi et quibus licebat, e terra effodere, colligere, redimere, et locis ſatis accommodatis collocare coeperunt. Verum omnia haec vetuſtatis opera, quamuis ingenioſa et ſtupendo artificio eximia, vsque ad Winkelmanni, popularis noſtri, aetatem ſpectarunt homines, docti, indocti, non niſi velut *ſupellectilem antiquariam*, lautam quidem illam, ſumtuoſam et magni-

magnificam, ſed non vt optimam et pulcerrimam, et vt opera, in quibus artificum immortalium ingenium, prudentiam, manus dexteritatem, et guſtus elegantiam multo plus, quam eorum materiam, etiamſi pretioſiſſima ſit, mirari et aeſtimare debeas. In quo quantum peccatum ſit a plerisque, illuſtris Heynius loco, quem ſupra dixi, ſatis demónſtrauit. Cuius viam et rationem propoſitam ſi hoc in ſtudio tractando ſequimur, iure quodam noſtro ſperare poſſumus, fore, vt tam egregiis artis priſcae operibus ſpectandis, et penitus cognoſcendis, veri pulcri ſenſum et guſtus elegantiam adipiſcamur, et quid artis, venuſtatis, ingenii, quin ſapientiae, in eis inſit, plane perſpiciamus. Quae omnia tantum abeſt, vt ſolis ex libris aut ſimplici talium operum ſpectatione veniant, vt potius identidem ad haec artis mónimenta redire, ſingulas eorum partes, vel minutiſſimas, recte ſcrutari, ſubtiliter inter ſeſe comparare, talique ratione oculorum iudicium recte et vero conuenienter formare debeamus, antequam, quod volumus, reapſe adſequimur. Cui haec omnia facere, et Corinthum, vt ita dicam, adire non contingit, eius cognitio rerum ſimilium, et inde hauſta *intelligentia* nunquam non manca et imperfecta ſit, neceſſe eſt. Quid? quod ad haec ipſa ſpectanda et diiudicanda, praeter alia, ſimul adferre oportet facultatem criticam, multo vſu exercitatam, vt ingenioſam artificis antiqui manum et laborem a recentioris cuiusdam inſtauratione, ne dicam, fraude, ſecernere poſſis, nec te turpiter decipi ſinas. Hoc tum in ſingulis operum ſimilium partibus tenendum eſt, tum in nominibus, quae eorum multis temere, nec raro fallendi cauſſa, adſcripta ſunt; quin etiam in titulorum vere antiquorum litteris, quas ſaepenumero aut mutatas, aut inductas conſtat in numis, aut a

manu

manu recenti adiectas, vt, in gemmis, statuis, protomis, basibus, vasis, aliis, quibus impostor turpioris lucri amans, plerumque prisci cuiusdam viri celeberrimi, aut artificis clarissimi nomen addidit, vt emtoribus cupidis facilius imponere, suamque mercem carioris vendere posset *).

*) Quo pacto numi antiqui deprauari soleant, et reapse deprauati sint, satis indicauit Christius libello, Zeunii V. C. cura edito, p. 167. ff. qui etiam p. 169. eiusmodi impostores quosdam indicauit. Alium, eumque Romanum, et nonnulla eius opera ficticia, exposuit Illustriss. Caylus, Recueil d'Antiquités, Tom. V. p. 251.

EXCVRSVS II
AD
PROLEGOMENORVM §. 4.

Opera antiqua non male, nec temere dispertiuit ERNESTI Celeberr. in *litterata* et *litteris carentia:* habebat enim, quo se tueretur, effatum: *A potiori fit denominatio,* quod iam tritum sermone, et vulgare est: recte etiam posteriora interdum *litteris esse notata* obseruauit. Interea leuiter lapsus esse videtur, *numos* non minus, quam Codd. scriptos, chartas, titulos, prioribus adnumerando. Verum est, hos sine litteris non esse, quin ne animo quidem fingi posse; numorum etiam antiquitus cusorum plerosque litteris insignitos esse. Sed nihilo secius eorum complures, *litteris prorsus carentes,* hoc, illo loco percussi sunt, hodieque exstant: quod plane demonstrant libri, in quibus, adiecta singulorum pictura lineari, recensentur et explicantur. Cuiusmodi numos, si opus esse crederem, proferre possem e Siculis, quos Cels. Princeps Torremutius promulgavit, item ex numismatibus Musei Honorii Arigoni, Veneti, A. MDCCXXXXI. Taruisii editis, alios vt silentio praetermittam. At enim vero, vt in numis, alioqui litteratis, non pauci reperiuntur litteris carentes; ita, ex altera parte, inter opera antiqua, vulgo litteris carentia, genus occurrit fere nullum, quod non interdum litteras prae se ferat. Hinc Athenaeus (Deipnosoph. l. XI. c. 4. p. 466. f. et Casaubonus in Animaduers. ad Athen. p. 785. ff.) ex Alexidis carminibus commemorat vasa et pocula γϱαμματικά,

h. e.

h. e. litterata, eademque aureis litteris insignita (conf. Martorelli de Theca Regia Calam. l. II. c. 4. p. 392. s.): et in Winkelmanni Historia Artium, Italice facta, et Mediolani promulgata; in lucem quasi exiit (Tom. I. p. 31.) vas vitreum, singulari artificio, tornique ope factum, in cuius collo, infra oram supremam, litteris, ferruminatis quidem, sed vitreis et exstantibus, scriptum est BIBE VIVAS MVLTIS ANNIS. Annulos, tesseras, quin lateres coctiles vna cum litteris ibi expressis, commemorauit Illustriss. Caylus (Rec. d'Antiqu. Vol. IIII. p. 266. et alibi). Columnas, tabulas pictas, gemmas, alia huius generis, quae praeter morem litteras in fronte gerunt, de industria omittere placet. Adeoque verum est, regulam vel legem, sine exceptione, esse nullam.

EXCVRSVS III
AD PART. I. CAP. PRIMVM
DE
SCRIPTVRA ANTIQVA.

Complura quidem, quod nemo facile inficiabitur, scitu et iucunda, et necessaria, hoc capite complexus est, ac cum viris eruditis communicauit B. ERNESTI: quem his plura etiam in scholis, super hoc loco disputasse fatentur, qui Ipsum audiuerunt, omnes. Verum haec, maximam partem, iudicabit ἀπροσδιονύσως dicta esse, qui ex eiusmodi institutione non nisi τȣ̃ *Antiqui* notitiam haurire auet ac percipere; etiamsi in alia omnia abeat, qui antiqua, ad vniuersam rem litterariam pertinentia, h. e. archaeologiam litterariam, sibi traditam cupit et inculcatam. Huiusmodi lectorem, reor, vel maxime tanget quaestio, hic loci agitata: nimirum de scripturae omnis, adeoque de litterarum ipsarum originibus, prima singularum figura, propagatione, vicissitudinibus, reliquis, quae coniuncta sunt cum eximio, quin plane diuino scribendi, h. e. animi sui sensa, cogitata, varia idearum et notionum genera et formas, paucis litterarum figuris, aliorum conspectui quasi subiiciendi, atque adeo cum ipsis absentibus et posteris communicandi, instituto. Quod diuinum appellari posse arbitror. Vnde adstipulor etiam Britanno illi ἀνωνύμῳ, qui nec prorsus absonum, nec a verosimili alienum, aut Deo o. m. indignum esse contendit, siquis hunc, sapientissimum rerum omnium auctorem, contendat, Mosem

per

per se, nulliusque alius interuentu, scribendi artificium docuisse (v. Some Enquiries concerning the first Inhabitants, Language, Religion, Learning and Letters of Europe. Oxford 1758. form. 4. p. 96. ff.). Verum vt secus existimes, id tamen dignum profecto est, quod vir quisque eruditus recte aestimet, et propter emolumenta longe maxima indaget ac demiretur. At enim quum idem hic locus, per se quidem ad historiam litterariam pertinens, tangatur a quouis ipsius auctore, neque ad τȢ *Antiqui*, quod proprie dicitur, naturam et rationem referri iure quodam suo possit: rectius, me saltem iudice, fecerit B. A. si, tali quaestione hoc in libello, si non penitus omissa, certe quidem non nisi ὡς ἐν παρόδῳ memorata, plenius ac copiosius, quae ad priscorum artificum opera ingeniose affabreque elaborata spectant, et ad horum elegantiam, venustatem, praestantiamque videndam necessaria sunt, exposuisset. Sed eum credo aliquid sequutum: loci grauitatem maxime, et multiplicem eorum, qui historiae litterariae ignari, ipsum audiebant, fructum et vtilitatem. Quod si Ipsius fuit consilium, vt videtur fuisse, tantum abest, vt hoc vituperare possis, vt potius recte et vere laudare debeas. Quo quidem ab loco perquam fructuoso, ne veluti asymbolus discedere videar: itidem nonnihil super eo disserere, quidque mihi videatur, paucis exponere placet. Ac primum quidem omnium, vt prorsus irritam, ita et inconsideratam, nequid grauius sciscam, opinor esse operam eorum, qui hodie in perscrutanda scripturae historia eo progrediuntur, vt, qui mortalium pro primo et principe eius auctore habendus sit, definire velint. Rem adeo vetustam quum ad liquidum explorare nec Graeci potuerint, nec Romani: qui istam nos, bis mille annos serius degentes, priuatique tot priscis monimentis, vere et recte expe-

diamus? Et vt reapſe expedias, ecquem inde fructum ad ipſam rem litterariam, huiusque florem et incrementum, redundaturum eſſe cenſes? Nomen, arbitror, prorſus inane noſſemus, cuius ſcientia viris eruditis non plus prodeſſe queat, quam ignoratio obeſſe. Praeterea fieri quoque potuit, vt homo non vnus, ſed plures ſimul, idque caſu, quod ſaepe accidiſſe conſtat, vel vrgente neceſſitate, et prouidentia diuina adiuuante, prima artis tam ſingularis, tam mirificae initia inuenirent, inuenta alii poſthac pedetentim perficerent. Quod ſi acciderit, rei, de qua quaeritur, tam auctorem primum, quam certum exploratumque tempus, ne Oedipus quidem plane docere poſſit. Quod idem de integris populis dicendum opinor. Sunt quidem plerique, qui artium et inſtitutorum omnino omnium velut incunabula apud Aegyptios quaerenda eſſe contendant, auctoribus potiſſimum Franco-gallis, Illuſtriſſ. Caylo, Gogueto, aliis, adeoque ſcribendi etiam artificium ab iis cogitatum, et poſthac cum Moſe, populi Iudaici legiſlatore, et ſcriptore, cuius libri exſtant, omnium vetuſtiſſimo, aliisque cum populis communicatum perhibeant: verum ego ipſorum rationibus nondum potui perſuaderi, vt hanc in ſententiam abirem. Aegyptiorum ingenium, mores, et reliqua vitae inſtituta, qualia quidem Moſis aetate, non diu poſt, Ptolemaeis regnantibus, fuere, me adducunt, vt ipſis adſtipulari vehementer dubitem; in primisque cauſſae iſtae, quas Britannum ἀνώνυμον, quem ſupra dixi, docte et ingenioſe perſequutum reperio (l. c. p. 104. ſſ.). Ac de ceteris quidem bellis, quas vocant, artibus, alio loco, quid mihi videatur, diſſeram: hoc opinionem qualemcunque meam de ſcripturae originibus breuiter ſtrictimque exponere placet. Non temere Britannus eruditiſſimus, Warburtonus, exiſtimaſſe videtur, omne

omne fcribendi initium factum effe per pictas rerum, in contrahendo quocunque negotio, vt, emtione, venditione, permutatione, cet. fignificandarum figuras, quibus veluti cogitatorum et fenfuum fignis vterentur primi homines: (v. ei. Divine Legation of Mofes, Book IV. Sect. 4. vol. III. p. m. 69. ff. quo loco fententiam fuam illuftrat, confirmatque exemplo Mexicanorum, figuris fimilibus vtentium, vt populares fuos, bellum fibi ab hofte peregrino inferri, docerent, l. c. p. 71. not. *d. e.*) pofthac mera figna, velut ea, quae hieroglyphica vulgo dicantur, vfurpari coepta: tandem ad litteras ipfas, et fcripturam propriam peruentum effe. Nec longe ab eo difcedit Goguetus, initium fuiffe ratus in fcriptura hieroglyphica: fequutam effe fyllabicam, qualis fit hebraica fine punctis, feu vocalium fignis: tandem viam et rationem per confonantes et vocales fimul fcribendi ftabilitam fuiffe (De l'Origine des Loix, des Arts, et des Sciences, et de leurs progrès, Tom. I. Livr. 2. chap. 6. p. m. 361. fqq.). Altera fententia adeo non (quod vifum eft nonnullis) aduerfatur repugnatque alteri, vt potius vtramque, iufta earum contentione facta, eodem collineare appareat. Auctor enim Franco-gallus non minus, quam Britannus, fcribendi initia contendit quaerenda effe in pictis rerum ipfarum figuris: id quod tuetur etiam *ἀνώνυμος*, quem dixi, huius popularis, fcriptores alios anteftatus (l. c. p. 93.). Verum Aegyptii pro obftinato, quo erant, ingenio et pertinaci antiquitatis amore ftudioque eas, veluti a Thauto fibi traditas, adeoque facras, feruare, atque ad indicandas rerum plurium ac recens inuentarum ideas, nonnihil interdum mutare et augere, quin, litteris iam inventis, ab aliisque communiter vfurpari coeptis, diutius adhibere, quam prorfus relinquere maluerunt: quas Graeci pofthac, haud dubie per facerdotes calli-

dos verſutosque decepti, et perſuaſi, eis res non vulgares ac publice geſtas, ſed arcanas et religioſas occultari, temere ac ſine grauiori cauſſa *ἱερὰ γράμματα*, et *ἱερογλυφικὰ* vocarunt. Qui opinionis error per eorum libros vel ad nos peruenit. Illuſtriſſ. quem ſupra dixi, Caylus, in Rerum antiquarum Collectione (Tom. I. p. 65. et V. p. 77.) efficere quidem ex quibusdam fragmentis Aegyptiacis adgreditur, plebem pedetentim ex hieroglyphicis iuſtas litterarum figuras deriuaſſe, et in ſcribendis rebus vulgaribus adhibuiſſe: quod iam ante eum Kircherus affirmauit (Hiſt. Obel. Pamphil. art. I.), aliique colligere voluerunt ex inſcriptione Aegyptiaca, in Monteſalconii opere (Antiquités expliqu. vol. II. Part. 2. pl. CXL.) promulgata. Quin ſententiae, ab hisce viris eruditis propoſitae, praeſidium et argumentum peti poſſe videtur ex verbis ſequentibus Diodori Siculi, qui, obſeruato, (Βιβλιοθ. γ΄. p. 101. edit. Steph.) *τάς τε τῶν ἀγαλμάτων*, ſc. apud Aegyptios, *ἰδέας, καὶ τοὺς τῶν γραμμάτων τύπους αἰθιοπικοὺς ὑπάρχειν*, ita ſcribere pergit, *ἰδίων γὰρ αἰγυπτίοις ὄντων γραμμάτων, τὰ μὲν δημώδη προσαγορευόμενα πάντας μανθάνειν, τὰ δὲ ἱερὰ καλούμενα παρὰ μὲν τοῖς αἰγυπτίοις μόνους γινώσκειν τοὺς ἱερεῖς.* Sed ne hic quidem locus rem dubiam ſatis probabilem reddit. Primum enim Diodorus, ſcriptor admodum recens, nec tempus deſignat, quo Aegypti vulgus *γράμματα δημώδη* vſurpare coeperit, et *τὰ ἱερὰ καλούμενα*, quae in Aegyptiis ſoli ſacerdotes diſcant et calleant, *παρὰ τοῖς Αἰθίοψιν*, ait, *ἅπαντας τούτοις χρῆσθαι τοῖς τύποις.* Tum figuras, quas in fragmentis, quae diximus, Aegyptiacis, admiſtas videmus aliis hieroglyphicis, pro veris litteris habere vix licet, propterea quod a cuiusque populi antiqui litteris nimium quantum diſcrepant. Et vt denique verae ſint litterae,

quas

quas illi viri doctissimi contendunt, nihil tamen certi ex eis effici cogique potest, propterea quod vera fragmentorum illorum aetas plane ignoratur. Recentiora esse possunt, et tempore scripta eo, quo Aegyptiis, regum Graecorum imperio subiectis, scribendi via et ratio iam satis cognita erat et peruulgata. Vnde illa, et similia fragmenta, vim probandi aliquam habere negat *ἀνώνυμος* Britannus, quem saepe iam diximus, (l. c. p. 108. s.). Id quod plenius adhuc intelligi potest ex V. C. Tychsenii commentatione super priscorum Aegyptiorum via et ratione litteris propriis scribendi, quam lingua vernacula exaratam, locum primum occupare iussit in der Bibliothek der alten Litteratur und Kunst, et huius quidem part. VI. Quid? quod hic non minus, (l. c. p. 61. ss.) quam ille, (l. c. p. 104. s.) nec Mosem, nec Cadmum, scribendi artificium ex Aegyptiis discere potuisse, caussis non leuibus adductus, contendit. Quamquam enim alter omni Aegyptiorum sapientia imbutus esse (Act. Ap. VII. 22.), alter primus litterarum plerarumque figuras Graecis attulisse memoratur: num ideo credamus, necesse est, Aegyptiorum aequalium scientiam et prudentiam comprehendisse, praeter artes alias, iustam et satis perfectam scribendi viam et rationem, populis, quotquot tum celebres erant, omnibus adhuc incognitam, nec vsitatam, ita vt homines omnino omnes, adeoque Moses pariter ac Cadmus, eam non nisi ipsorum in scholis discere potuissent, ac debuissent? Impetrare ab animo profecto haud possum, vt Aegyptios solos, vti aliarum disciplinarum omnium, ita scribendi artificii gnaros, reliquos populos omnes ac singulos artium prorsus expertes, verbo, aeque stupidos, stolidos, bardos ac barbaros fuisse existimem, ac multi hodieque in Asiae, Africae, Americae regionibus extremis et insulis prope adia-

centibus reperiuntur. Quam, Graecis quidem auctoribus, de singulari Aegyptiorum ingenio, prudentia et dexteritate, animo et cogitatione fingimus ac tuemur opinionem, et quam contra de reliquorum populorum omnium stupiditate et ignorantia; ea haud dubie non nisi praeiudicata est, nosque vehementer impedit, quo minus id, quod verum et ab omni partium studio et cupiditate liberum est, videre possimus, ac, si possimus, velimus. Quae ratio quantopere dedeceat viros prudentes et vnius veri studiosos, ecquis est, qui non videat? Paucis eam perstringit ἀνώνυμος noster (l. c. p. 57. 64. ss. et alibi) ideoque copiosius refellere, non est necesse. Quo tempore in viuis erant Moses et Cadmus, quos plerique aequales fuisse statuunt, Asiae, australis aeque ac borealis, item Europae regiones et insulae, complures iam alebant homines, tum aliarum artium, ad vitae cultum necessariarum, tum nauigandi et mercandi studio florentes, quorum postremos, in primis rerum venalium consignatio, emtarum, venditarum, expensorum, acceptorum, nominum seu debitorum rationes non poterant non compellere, vt tot et tam diuersas res signis, quam fieri poterat, paucissimis, in tabulas, quisque suas, referrent, eis animi sui sensa et cogitata exprimerent, et cum aliis in contrahendo qualicunque negotio communicarent. Qua ipsa via et ratione litterarum suarum figuras, rudes quidem adhuc illas, sed ad rerum, sensus ferientium, imagines vtcunque exprimendas satis idoneas, populos alios docuisse, et coloniis eo deductis impolitum scribendi artificium tradidisse videntur. Haec coniectura qualiscunque mea me adducit, vt ad Syros, sensu tam lato sumtos, vt Assyrii, Phoenices, Arabes, quin Hebraeorum maiores, hoc nomine comprehendantur, eam pertinere credam laudem: in primisque ad Phoenices, quos,

orae

orae maritimae opportunitate et beneficio inuitatos, a primis inde temporibus, animum ad mercaturam faciendam applicuisse, et eius melius ac tutius stabiliendae, et fructuosius continuandae caussa, non solum naues aedificasse, in eisque merces, hinc, inde, exportatas, trans maria misisse, sed etiam in Africae, Hispaniae, Galliae, Italiae, Graeciae, Asiae minoris littoribus, et insulis eo pertinentibus, colonias condidisse quam plurimas, inter omnes constat. Quod quum ita sit, ecquis dubitare ausit, colonos istos litterarum figuras, in patria si non inuentas, certe quidem adhiberi suetas, secum attulisse ad veteres locorum iam occupatorum incolas; hos vero eas, intellecta illarum vtilitate, non grauatim accepisse, et in negotiis contrahendis posthac vsurpasse? Quo pacto fama de Syris, litterarum inuentoribus, in ipsam Cretam, insulam, penetrasse videtur. Nam Diodoro Siculo teste, (l. V. p. m. 235.) ταῖς Μούσαις, aiebant Cretenses, δοθῆναι παρὰ τοῦ πατρὸς τὴν τῶν γραμμάτων εὕρεσιν· — — — πρὸς δὲ τοὺς λέγοντας, ὅτι Σύροι μὲν εὑρεταὶ τῶν γραμμάτων εἰσὶ, παρὰ δὲ τούτων Φοίνικες μαθόντες τοῖς Ἕλλησι παραδεδώκασιν, οὗτοι δ᾽ εἰσὶν οἱ μετὰ Κάδμου πλεύσαντες εἰς τὴν Εὐρώπην, καὶ διὰ τοῦτο τοὺς Ἕλληνας τὰ γράμματα Φοινίκια προσαγορεύειν· Φασὶ τοὺς Φοίνικας οὐκ ἐξ ἀρχῆς εὑρεῖν, ἀλλὰ τοὺς τύπους τῶν γραμμάτων μεταθεῖναι μόνον, καὶ τῇ γραφῇ ταύτῃ τοὺς πλείστους τῶν ἀνθρώπων χρήσασθαι, καὶ διὰ τοῦτο τυχεῖν τῆς προειρημένης προσηγορίας. Ceterum ex his Diodori verbis, quibus Cadmus οὐκ ἐξ ἀρχῆς εὑρεῖν, ἀλλὰ τοὺς τύπους τῶν γραμμάτων μεταθεῖναι μόνον, narratur, et loco eiusdem scriptoris alio, (l. III. p. m. 140.) quo Dionysium Milesium narrat, παρ᾽ Ἕλλησι πρῶτον εὑρετὴν γενέσθαι Λίνον ῥυθμῶν καὶ μέλους· ἔτι δὲ Κάδμου κομίσαντος

ἐκ

ἐκ Φοινίκης τὰ καλȣ́μενα ΓΡΑΜΜΑΤΑ, πρῶτον εἰς τὴν ἑλληνικὴν μεταθεῖναι διάλεκτον, καὶ τὰς προσηγορίας ἑκάςῳ τάξαι, καὶ τȣ̀ς χαρακτῆρας διατυπῶσαι. κοινῇ ȣ̓̂ν τὰ γράμματα ΦΟΙΝΙΚΙΑ κληθῆναι διὰ τὸ παρὰ τȣ̀ς ἕλληνας ἐκ Φοινίκων μετενεχθῆναι· ἰδίᾳ δὲ τῶν Πελασγῶν πρώτων χρησαμένων τοῖς ΜΕΤΑΘΕΙΣΙ χαρακτῆρσι, πελασγικὰ προσαγορευθῆναι, ex duplici, inquam, hoc loco effici cogique posse censet ἀνώνυμος Britannus (l. c. p. 109. ſſ.), Graecos, ſi non omnes, certe quidem nonnullos, eo iam tempore, quo Cadmus appulerit, nonnulla animi ſenſa exprimendi ſigna, vel litterarum figuras habuiſſe, has tamen, auctore, quin duce Dionyſio Mileſio, cum Phoeniciis permutaſſe, eoque libentius, quod idem vir doctus et poeta, illarum nomina dura et peregrina, *Alph*, *Beth*, *Gaml*, *Dalth*, cet. in faciliora et Graecis auribus ſuauiora, *Alpha*, *Beta*, *Gamma*, *Delta*, cet. quaſi tranſire iuſſerit. Qua opportunitate Herodoti verba, (l. V. §. 58. p. 399. ed. Weſſeling.) quae ipſius coniecturam prorſus refellere putes, cum Diodori dictis ita conciliat, vt alter alteri non repugnare videatur. Sed vtcunque haec exiſtimentur, Graeci profecto plerique vno ore confeſſi ſunt, ſeſe debere Cadmo, et huius comitibus, ſedecim litteras; ideoque vel diu poſt, earum figuris nonnihil mutatis, numeroque ſimul adaucto, ΦΟΙΝΙΚΗΙΑ nuncupare haud deſierunt, plane perſuaſi, ipſum aeque ac ſocios itineris, ex Phoenicia oriundos, hanc ſcribendi rationem, in patria ſua traditam acceptamque, ſecum communicaſſe (v. Diodor. Sic. l. III. p. m. 140. et Britanni anonymi Enquiries, p. 110. ſſ.). Accedit, quod ex Alphabeto, Phoenicium quod vocatur, reliqua tantum non omnia populorum, qui litterarum ſcientia olim floruere, manaſſe contendunt ſcriptores complures, vt, Montefalconius (Palaeo-

(Palaeograph. Gr. l. II. c. 1. p. 115. ff.), Ludouic. Ioseph. Velazquez, Hispanus, (Ensayo sobre los Alphabetos de las letras desconocidas, p. 23. ff.) qui de priscis litteris, in monimentis Hispanorum offendi solitis, vehementer contendit, eas legi et explicari non posse, nisi cum Graecis ac Phoeniciis, parum vel nihil inter sese dissimilibus, scite prudenterque comparentur: item Ludouic. Dutens, qui priscas litteras Graecas cum populorum Orientalium litteris comparauit (Explication de quelques medailles Grecques et Pheniciennes, Differt. III. p. 167.), ac praeterea Alphabetum Phoenicico - Punicum, et Siculo-Punicum, ad numos complures rectius et verius interpretandos vtilissimum, suppeditauit (l. c. Differt. I. tab. aen. 3.). Plures de industria silentio praetermittere placet. Quorum virorum argumenta et rationes quum non leues sint, nec contemnendae, et sententiam, ab iis propositam, valde verisimilem reddant; equidem caussam video nullam, cur eis in quaestione tam difficili et obscura, adsentiri non liceat. Interim sedecim litterarum, a Phoenicibus acceptarum, figuras alii diutius vsurparunt, alii pedetentim nonnihil vna cum ipsa a dextra sinistram versus scribendi ratione mutarunt. Pelasgi et Athenienses eas diutissime adhibuisse, eisque Linus etiam, Orpheus, Pronapides ac Thymoetes, in poematis, quisque suis, exarandis, vsi dicuntur (v. Diodor. Sic. Βιβλιοθ. l. III. p. m. 140. it. Anonymus Britannus, l. c. p. 113.). Praeter hos alii quoque Graeci vetustam litteras, a colonis Phoeniciis acceptas pingendi, et collocandi rationem seruasse videntur, si non in rebus communibus, certe quidem in donariorum religiosorum titulis scribendis. Vnde tam Herodotus (l. V. sect. 307. p. 400.), quam Pausanias (l. VI. p. 498. extr.; IV. p. 420; V. p. 435; VIII. p. 648.) memorat titulos complures γραμμασιν

αρ-

ἀρχαίοις γεγραμμένους. Accedit, quod hoc cernere licet in duplici inscriptione hodie superstite: nimirum Amyclea (v. Caylus Recueil T. I. p. 63. pl. XX.), et arae antiquae Pembrochianae (v. Description of the Antiquities and Curiosities in Wilton-house, p. 4. f.): vtriusque litterae sunt peruetustae, illae βουστροφηδὸν, hae more nostro collocatae. Res igitur addubitari nequit. Quin quoniam Pelasgi litterarum, ad se deportatarum, figuras omnium primi vsurpare coeperant: factum est, vt illae non tantum γράμματα φοινικικὰ, sed etiam πελασγικὰ vocarentur. Quae posthac ab iisdem, per Deucalionem, huiusque filios et ipsorum comites, patria pulsis, et in Italiam profectis, simul eo delatae sunt, et cum Etruscis communicatae. Ex quo verisimile fit, monimenta Etruscorum peruetusta ob oculos lectorum ponere Pelasgicas tam litterarum figuras, quam dicendi formulas, adeoque Phoenicias, nihil, vel leuius modo, immutatas. Quod qui non ignorat, is Eckhelii, V. Celeb. adnotationem propositam (Choix de Pierres gravées du Cabinet Imperial des Antiques, p. 76.) ad tab. aen. XL. iudicabit ita comparatam esse, vt, quod erroris Italus, nescio quis (Novelle Letter. di Firenze, N. 1. per l'anno 1789. p. 3.) in ea inesse rebatur, ab ea longissime abesse, eiusque sententiam, temporum modo diuersorum ratione recte, et vt par est, habita, sine dubitatione amplectendam censeat. Ea litterarum, quibus Graeci vetustiores atque Etrusci in scribendo vsi sunt, similitudo et quasi cognatio vt magis appareat, exempla duo hic proferre lubet: alterum Graecum, quod exstat in ara illa vetusta, quam paullo ante diximus, et quae in Comitis *Pembrochiani* villa, *Wilton-house* appellata, et illius supellectili antiquaria adseruatur; alterum Etruscum, non ita pridem repertum in columella, vna cum aliis hypogei cuiuspiam ruderibus effossa,

effossa, qua de re Ephemeridum litterariarum Florentinarum, (l. c.) auctores disputarunt. Arae titulus hic est:

ΜΕΛΓΟΜΕΝ:ΔΙΟΝΥΣΟΝ ΑΓΛΑΟΜΟΡΦΟΝ: ΒΑΚΧΕΥΤΟΡΑ ΤΑΝΘΟΚΑΡΕΝΟΝ quod est, *μέλπομεν Διόνυσον ἀγλαόμορφον βακχευτορα τ' ἀνθοκάρενον*: quibus in verbis, postremum est pro *ἀνθοκάρηνον*, et primum pro *μέλπωμεν*, adeoque *ε* pro *η*, et *ο* pro *ω* positum; quae scribendi ratio tituli vetustatem satis comprobat. Columellae titulus, litteris, sinistrorsum positis, ita est scriptus:

ΜΑΛΑΙΤΑΜΞΝΙΞΑΙΜ

Sunt, qui haec ita legenda censeant: *Miasilem Apianam*, sed qui praeterea nihil ad eius sensum interpretandum, aut peruidendum adferant. Exspectatur Abb. *Lanzii* commentarius nouus super Etruscis, de quo mira sibi promittunt ipsius populares. Exitus num responsurus sit tantae expectationi, breui videbimus. Interim mutare has omnium primi Iones atque inuertere, vt facilius a sinistra, dextrorsum scribere possent: quae via et ratio ab omnibus Europae populis posthac accepta. Dignissima est, quam ad hanc rem lectites, *τοῦ πάνυ* Wesselingii obseruatio ad Herodoti locum eum (l. c. p. 400. n. 15.) quo omnis historiae profanae parens se vidisse ait, in Ismenii Apollinis templo, litteras Cadmeas in tripodibus quibusdam incisas, magna ex parte consimiles Ionicis. Hinc enim efficit consequens esse, vt *ἐπὶ τὰ λαῖα ἐκ δεξιῶν*, a dextra in sinistram processerint, et vt Scaligero ad Euseb. et Salmasio in Inscript. Herod. qui in alia abeunt, haudquaquam adstipulandum sit. Est, qui Homerum et Hesiodum, primos fuisse censeat, qui poemata sua Ionicarum litterarum figuris, idque a sinistra dextram versus scripserint (v. Britanni

an.

an. Enquiries, p. 113.). Sed vtcunque haec sint, aut existimentur, Athenienses certe non nisi sero, Archonte Euclide, A. V. C. 350. sese adduci passi sunt, vt mutatam scribendi rationem calculo suo approbarent, et posthac vsurparent. Quid? quod ipsi Romani, primis reip. suae temporibus, perquam vetustis litterarum figuris vsi sunt, auctore Dionysio Halicarnassensi (Αρχαιολογ. Ρωμ. l. IV. p. m. 230.), qui in Dianae aede columnam superare testatur cum titulo inciso, qui prae se ferat *γραμμάτων χαρακτῆρας Ἑλληνικῶν, οἷς τὸ παλαιὸν ἡ Ἑλλὰς ἐχρᾶτο.* Sed Tarquinium Priscum, qui Damarati, exulis Corinthii, filius, litteras in Italiam attulisse dicitur Tacito (Annal. l. XI. c. 14.) credibile est, Ionicas, i. e. mutatas et litterarum figuras, et ipsam scribendi rationem, Romam secum attulisse, et omni studio propagasse. Quo facto, Plinius (Hist. Nat. l. VII. c. 37.) non sine caussa contendit, gentium consensum tacitum omnium conspirasse, vt Ionum litteris vterentur. Quo posito, facile videas, necesse est, cur idem Plinius (l. c. c. 58.) veteres litteras Graecorum easdem esse, ac Latinas, perhibeat, et qui Tacitus (Annal. XI. c. 14.) scribere potuerit: *formae litteris Latinis, quae veterrimis Graecorum.* Romanorum autem exemplum posthac sine dubio tam efficax ad populorum, imperio Rom. subiectorum, animos fuit, vt idem institutum, eandem scribendi rationem sequerentur. In quo ponendus videtur *tacitus* ille *gentium omnium consensus,* quem Plinium iactitasse paullo ante accepimus. Quaecunque posthac, in variis Europae cultioris partibus, scribendi instituto, eximiae vtilitatis caussa vbique locorum recepto, continuatoque acciderunt, ea tam copiose dicendo persequutus est E. ὁ πάνυ, vt Ipsius in libello nihil, nisi ordinem iustiorem, desiderare possis. Quare non est, cur plura

in

in medium adferre debeam. Quae ego de ſcribendi originibus dixi, ea non ſine inſigni certoque fructu comparare poteſt lector, rerum ſimilium amans, cum his, quae eodem de argumento ſcripſit Gattererus V. Celeb. (Kurzen Begriff der Weltgeſchichte in ihrem ganzen Umfange, S. 41. u. 259.). Supereſt, vt librum indicem, ad locum, de quo quaeritur, recte peruidendum, quin ad librorum Mſcriptt. et diplomatum aetatem diiudicandam, vtiliſſimum, non ita diu Londini promulgatum: nimirum ASTLE's *Eſſay on the Origin and Progreſs of Writing and Printing*, 1784. in forma quadripertita, vna cum XXXIII. tabb. aeri inciſis.

EXCVRSVS IIII

Ad PART. I. CAP. II

DE

MARMORIBVS.

Latinorum *marmor* sumtum est ex Graecorum *μάρμαρον*· quo quidem vocabulo, temporibus antiquissimis, ad designandum quemuis lapidem vel silicem, vsos esse Graecos, e locis non paucis Homeri (Il. l. XII. 380; XVI. 734. s.) Callimachi (H. in Apoll. 24.), item Euripidis, Aristophanis, aliorum (v. Spanhem. Commentar. ad Callimach. p. m. 92. s.) plane apparet. Intellecto posthac, alterum ab altero quam maxime discrepare natura, duritie, colore, magnitudine, varia particularum quasi textura, proprietatibus aliis: lapides in certa genera distribuere, a vilioribus secernere praestantiores nobilioresque, et ad varium vsum ornatumque adhibere coeperunt homines, a prisco et simplicissimo vitae genere ac cultu recedentes. In lapidibus, ad vsus complures ac diuersos vsurpari suetis, praeter *gemmas*, quas dicimus, secreuerunt eos etiam, quos ipsa natura distinxisse videbatur singulari duritia, et firmitate, miraque coloris pulcritudine: qui posthac *marmora κατ᾽ ἐξοχὴν* appellari coepti sunt. Quorum naturam et proprietates, colores potissimum, hoc loco indicare, et paucis, non vt physicos, sed viros τȣ̃ *Antiqui* amantes ac studiosos decet, explicare necesse est. Ac primum quidem marmor proprie dictum natura sua sic comparatum esse intellexerunt Graeci, teste Theophrasto, (lib. de Lapidibus §. 20, quem Graece scriptum, vna cum

cum Hillii, Britanni, obseruatt. physicis et criticis, Germanice vertit et promulgauit Alb. Henr. Baumgaertner, Norimberg. 1770. p. 64.) vt non liquescere, (τήκεσθαι) sed comburi, et in puluerem seu calcem redigi (κατακαίεσθαι καὶ κονίαν ἐξ αὐτοῦ γίνεσθαι) soleat. Haec eius ratio facit, vt marmora, si non omnia, certe quidem pleraque, lapidibus calcariis vel gypseis adnumerent viri harum rerum prudentes; eoque magis, quod statuarum, columnarum, aliorum operum marmoreorum fragmenta ab Italis igne macerari, in calcem gypsumue redigi, et in aedificatione consumi, satis constat. Sed haec marmorum natura et proprietas ab hoc loco aliena est: vtpote cuius rationem prisci artifices in τῷ *Antiquo* fabricando habuere nullam. Spectabant potius in eiusmodi opere, siue id sua sponte meditarentur, siue meditari et conficere iussi essent, lapidis duritiem, colorem, splendorem, vt istud accommodatum foret tam loco, quem occupare, quam consilio, cuius prouehendi tanquam subsidium esse debebat. *Durities* requirebatur potissimum in opere, quod, vt quam diutissime firmum et stabile, et tantum non perenne esset, optarunt: nec *colorem* prorsus negligebant, si hoc idem in loco quodam publico expositum, spectatorum oculos nunquam non feriebat: siquidem cauendum esse videbant, ne quis eorum paullo fastidiosior et morosior, ingrato molestoque oculis marmorum colore, ab eis contemplandis deterreretur. Vnde ad huiusmodi opus non nisi vnius coloris, vt, candidi, viridis, nigri, marmor adhibebant; contra vero plurium colorum maculis sparsum, et quasi pauonaceum, non item (Plin. H. N. l. XXXVI. c. 6. p. m. 731.): quoniam horum varietas et discrepantia, si non prorsus absona et taedii plena, certe quidem valde iniucunda, spectatorum oculis non poterat non importuna esse, eoque ipso

fieri impedimento ad id confiderandum, examinandum, admirandum. Quod vt fequebantur, v. c. in opere omni, in quod incidendus erat titulus, legendus ac cognofcendus hominibus, ad id accedentibus, quos inamoena, ne dicam foeda, colorum diuerfitas haud dubie offendiffet: ita reapfe factum effe conftat in eiusmodi bafibus, aris, columnis, tabulis, quarum titulis infcriptis foederum leges, res quondam geftas, virorum clarorum egregie facta, honores, alia, commemorare et pofteritati tradere vifum fuit. Luculentiffima fimilis delectus exempla fuppeditant marmora Oxonienfia, Sicula, alia, quae colore non nifi candido nitent. Cuiusmodi marmor etiam ad ftatuas Deorum, hominumque fingendas deligere, ratio et fenfus fere communis fuafit. Eo autem deficiente, aliaue cauffa intercedente, ad aliud marmor coloris non nifi vnius, vt, bafalten, defcendebant ftatuarii: quod in Aegypto potiffimum, et Romae pofthac accidit, Hadriano imperatore, qui in Tiburtini recens aedificati ornatu et fupellectili, aemulatione nefcio qua abreptus voluit, vt in ftatuarum ibi collocandarum numero forent etiam, quae a veteris Aegypti legibus et rationibus perpauxillum modo recederent. Quod luculenter demonftrant figna, quae paucis abhinc annis ex illius ruderibus effoffa, in Mufeum Pio-Clementinum tranfierunt (Tom. I. n. 32. 47.; II. n. 16. coll. cum Vifconti, V. Celeber. et Eruditiffimi commentario, p. 39. n. 17. 18.). Neque minus fimile marmor candidum fuit neceffarium, vel certe vfitatiffimum, in conficiendis operibus caelatis, adeoque plurium hominum perfonis factisque, quantum fieri poterat, fimul exprimendis. Artificium enim, praeftantiffimum quidem illud, fed caelatum ex lapide, maculis multis mirisque variegato, qui fpectatoris prudentis et veri amantis oculos fuauiter afficere potuerit, et quafi fufpenfos tenere? in primis tum, quum in

eas

eas quasi cadebant simulacri artus, vel operis loca ea, quibus prorsus repugnabant, et aduersabantur, adeo vt ne aequissimus quidem iudex opus simile, quamuis alioqui non malum, aut ipsius artificem commendare potuisset. Tantum curae, tantum prudentiae impendere oportuit ἀγαλματογλύφους, si quod artis suae monimentum, aere perennius, conficere, idque viro cuiuis ingenioso, et talium rerum intelligenti, probare auebant. Vnde statuae, quas ex porphyrite Claudio Caesari procurator eius in vrbem ex Aegypto aduexerat, fuerunt non admodum probata nouitate, teste Plinio (H. N. l. XXXVI. 7.), nemo certe postea imitatus est. Et quae tres aut quattuor statuae porphyreticae Venetiis prope atrium aedis D. Marci, vel palatii Ducalis cernuntur, eo demum tempore sunt factae ab artificibus Byzantinis, quo artes et pulcri venustique sensus quasi exulabant. Quod idem dicendum est de titulo quodam Veronensi, itidem in Porphyriten inciso. (conf. Christ. l. c. p. 77. ss. Illustriss. Caylus, Collect. Antiquitt. tom. III. ad tab. VIII. n. 2. item Visconti longe Celeberr. Obseruat. ad tom. II. tab. 17. p. 41.) At enim vero in caedendis poliendisque aedificiorum columnis, trabibus, zophoris, aliis, quae ad ipsorum firmitatem, stabilitatem, vel ornatum necessaria erant, dominorum voluntati obtemperandum fuit, et quod isti marmor vel desiderabant, vel iam parauerant, eorum consilio accommodandum. In conficiendis tandem crustis, vel operibus vermiculatis, fieri non poterat, quin plurium colorum marmora et horum fragmenta legerent; lecta ita iungerent ac compingerent, vt eiusmodi labor quam proxime accederet ad tabulae pictae rationem et venustatem. Quibus quasi praemissis, operae pretium me facturum reor, si marmorum, non omnium, quae prisci artifices ad conficienda varia artis suae opera adhibuere: talis enim de-

 scriptio

ſcriptio iuſto longior foret ac faſtidii plena: ſed praecipuorum tantummodo naturam, rationem et colores breuiter ſtrictimque exponam, idque veluti duce et auſpice viro, qui rerum, quae e tellure effodiuntur, peritiſſimus eſt, eademque ſingula curatius explorandi opportunitatem habuit in itineribus per Italiam inſtitutis. Ex paucis enim illis, quae Plinius, Agricola, Caryophilus de ipſis ſcripſere, tantum abeſt, vt plenam, perfectam et adaequatam cuiusque generis notionem haurire poſſint lectores, vt potius ſaepenumero hallucinaturus ſit, ſi quis eorum plura huiusmodi fragmenta, parum inter ſe diſſimilia, recte ac vere diſcernere, et vnumquodque proprio nomine appellare iubeatur. Age igitur, rei arcem ſine mora invadamus, et ducem, quem dixi, ſequamur certiſſimum, Io. Iacob. Ferberum, V. Celeberr. (Briefe aus Wälſchland über natürliche Merkwürdigkeiten dieſes Landes, an den Herausgeber derſelben, Ignatz Edlen von Born. Prag, 1773. 8.), qui Ep. XVI. expoſito, (p. 248.) quanta in fragmentis ſimilibus emendis, inveſtigandis, recteque nominandis, vt ſolita marmorariorum aſtutia, lucrique cupiditate ne fallaris, circumſpectione ac cautione opus ſit, praemiſſaque duriorum lapidum diuiſione in octo quaſi formas, quarum index ſcholis phyſicis, quam archaeologicis aptior eſt, atque accommodatior, (l. c. p. 250.) marmora octoginta, amplius, dinumerat, horumque naturam, colores, item macularum ſtrias et alias conformationes luculenter deſcribit. Verum vt eorum pleraque adhibita non ſunt ad ſtatuas Deorum hominumque elegantiores fabricandas, aut ad alia maioris ingenii et dexteritatis artificia paranda, ſed ad baſes tantum, poſtes, trabes caedendas, ad operiendos ſcenae aediumque parietes, et lacunaria, arcuum fornices et latera, ad opera vermiculata exſequenda: ita nos

nos etiam non omnia persequemur, ne iusto simus copiosiores, sed ea tantum, quorum naturam quasi magis nobilitauit artificum manus in faciendis perpoliendisque eiusmodi statuis et simulacris, quorum intelligentia prorsus mirifica hodieque stupeamus, necesse est. Haec internoscendi principium a *candidis* facere placet. In eis excelluit (1) *Pentelicum*, quod e lapicidinis prope Athenas caesum, statuis, signis, et aliis rebus affabre faciendis aptum fuit v. Theophrast. de Lapid. §. 14. p. 43. s. ed. Baumgaertner. Pausanias in Attic. s. l. I. c. 19. extr. p. 46; it. c. 32. p. 78. nec non p. 582. 590. 592. alibi, ed. Kühn.). Ex eiusmodi marmore caesum est *Palladis* simulacrum, in villa Albani Eminentissimi quod adseruatur. (v. Winkelmann. Anmerkungen über die Geschichte der Kunst. S, 4.). (2) *Parium*, (Itali vernacula sua *il Paro antico* vocant) cui vel primas detulisse constat Graecos ex ipsorum scriptoribus (v. Theophrast. l. c. et Hillii Obseruatt. ad h. l. Christ. l. c. p. 192.) propter coloris, lacti simillimi, (Ferber. l. c. p. 250.) suauitatem, et laeuitatem, qua perpolitum splendere solebat. Eius ex stratis trunci, sex vel septem pedes altiores, per creberrimas petrae rimas et fissiones non facile caedi in lapicidinis poterant, adeoque idonei fuisse dicuntur non nisi ad statuas iconicas elaborandas (Hill. obseruatt. l. c. p. 44.). Vtriusque marmoris, Parii et Pentelici, discrimen paucis verbis explicuit Winkelmannus (Geschichte der Kunst, S. 250. Dresd. Ausg. und Anmerkungg. S. 4.), qui simul memorauit, Romae superare opera varia, ex hoc marmore facta, vt, heroa aliquem Graecum, aetate prouectum, et necatum; Phrygem aliquem moribundum; Amazona iam mortuam; item heroa iuuenem, eumque vulneratum. Idem hoc marmor Ernestius scribit *Lychnicum* cognominatum; *Lygdinum* Christius, ex eoque caesa esse tum rudera, quae de

Veſtae delubro ſuperſint; tum tabulae illae ſectae et affabre caelatae, quibus binae columnae longe celeberrimae, Traiana et Antonina, extrinſecus opertae ſint et quaſi veſtitae (ibid. p. 71. 74. ſ.). Eruditorum, quos dixi, virorum poſterior addit praeterea, id vocatum quoque eſſe *Coraliticum:* minus recte: nam cognomentum hoc deductum eſt ex fluuio *Coralio,* quem alii *Sangarium*, omnes vno ore Phrygiae flumen appellant (Liu. l. XXXVIII. 18. Arrian. l. I. c. 30. conf. Cellarii Not. O. A. l. III. c. 3. p. 97. et c. 8. p. 177.). Id candore quidem proximum ebori, et quadam ſimilitudine erat (Plin. l. c. l. XXXVI. c. 8.), ſed fragmentorum exciſorum menſurae bina cubita non facile excedebant. Vnde ea ſtatuis maioribus faciendis minus accommodata fuiſſe patet. Quod etiam de reliquis marmoribus candidis, ab A. immortali enumeratis, *Alabandico* (hoc tamen non *candidum,* ſed *nigrum,* eſſe perhibet Plin. l. c. p. m. 735. quem ſequutus eſt Chriſtius, ib. p. 71.) *Synnadico* ſeu *Phrygio*, *Proconneſio, Hymettio, Cyziceno, Tyrio, Phengite* et *Onychite* dicendum videtur: ideoque lectorem, harum rerum amantem, adire oportet Plinium (l. c. l. XXXVI.), Winkelmanni Hiſtoriam Artium, Italice conuerſam a Carolo Fea, et Romae promulgatam (tom. II. p. 10. ſſ. not. 1.). Superſunt huius generis alia, quae ſilentio praetermittere non licet. Nimirum *Lunenſe,* et quae Itali *Marmo Statuario et Marmo Cipolino* hodie appellant. Quorum primum, Lunae in Etruria caedi, hodieque vulgo *Carrarenſe (Marmo di Carrara)* vocari ſuetum, quam proxime accedit ad Parium, Ferbero quidem iudice, (l. c. p. 250.) niſi quod nec aeque compactum, et maioribus quaſi ſquamis fibriſue textum ſit; vnde opus qualecunque ex eo caeſum, minus bene poliri et laeuigari queat. Interim veterum ſtatuarum atque protomarum, in muſeo Capitolino collocatarum, tantum non omnes

ex

ex hoc marmore fabricatas esse, idem ille testatur. Alterum, quod dixi, marmor (vulgo nominant *Marmo Statuario*) itidem antiquum est, et Pario prorsus simile, praeterquam quod nec coloris lactei, nec opacum, sed semipellucidum sit; quod in fragmentis vel crassioribus obseruari possit. Tertium (*Marmo Cipolino* vocari suetum) non minus Graecae originis, candidique coloris est, sed simul ita comparatum natura, vt id striae, seu fasciae viridantes lucentesque quasi permeent, neque adeo, quantum superiora, splendeat et luminis radios repercutiat. De quo quid et Christius et Volkmannus tradiderit, et qua re alter ab altero dissentiat, ex vtriusque commentariis videre licet. His marmoribus candidis subiungere placet *Alabastriten*, lapidem pariter candidum, qui, si a mollitie discedas, ad marmor quam proxime accedit. Is qua velut nota et ratione ab *Alabastro* differat, exposuit V. Celeberr. Hillius (Obseruatt. phys. et crit. ad Theophr. p. 45. s.): qui eodem loco animaduertit, Alabastriten a Graecis non raro ὄνυχα, et a Latinis *marmor Onychites* vsurpari. Errorem complurium virorum doctorum inde natum et propugnatum arguit idem Britannus doctissimus. Pauca de hoc obseruat Ferberus (l. c. p. 258.) plura Ian. de S. Laurentio, qui in ea est haeresi, quae Alabastriten et Alabastrum discrepare negat (Dissert. sopra le pietre preziose degli Antichi, e sopra il modo, col quale furono lavorate, cap. I. et II. §. 17. ss. quae exstat in Saggi di Dissertazioni Accademiche, lette nell' Academia di Cortona, Tom. V. p. 22. ss.). Eum plerumque in tabulas sectum et vsurpatum esse, vt ei tituli inciderentur, paucis demonstrauit Christius, V. C. (l. c. p. 80. ss.). Ex eodem bases perquam venustas parari scribit Ferberus, in quibus protomae collocari soleant; quales multae reperiantur in Albani Eminentissimi villa. Qui-

 bus

bus omnibus duo addantur, necesse est. Alter est *Porus*, Πώρινον λίθον appellat Herodotus (Terpsich. s. l. V. sect. 308. p. m. 401.) quem, plerisque incognitum, idem in templo Delphico aedificando, ab Alcmaeonidis, redemtoribus, vsurpatum esse memorat. Plinius (l. c. l. XXXVI. c. 7. Pario similem esse ait candore et duritia, minus tamen ponderosum: quae haud dubie ex Theophrasto (l. c. §. 15. p. 51.) transscripsit. Pausanias (l. V. c. 10. p. 398.) templum aliud ex eo aedificatum memoriae prodidit. Quin ex eodem statuas caesas, quae Πώρινα essent vocatae, et specula parata esse, Hillius, quem saepe iam diximus, obseruauit (l. c. p. 47. s. conf. Iul. Pollux Onomast. l. VII. sect. 123. p. m. 776. et VV. DD. nott. ad h. l. item Taylor Lectt. Lysiac. c. V. p. 254. ed. Lips. qui Πωρίνȣ Σελίνȣ, per librariorum errorem natum, in Σιλήνȣ mutandum, ac de Sileni statua, ex lapide porino, facta, accipiendum esse contendit). *Chernites* est alter, qui, ebori simillimus, a Graecis veteribus frequenter vsurpabatur ad sarcophagos parandos: in quorum vno Darium quoque conditum ferunt, teste Theophrasto (l. c. §. 15. p. 51.), et Plinio, (l. c. l. XXXVI. c. 17. et 8.) quem haec ex illius libro transscripsisse credibile est (conf. Hill. Obseruatt. ad h. l. p. 47.). Atque haec quidem de marmoribus *candidis*. Iam ad alia progrediamur. Est marmor *nigri*, vel *ferrei* potius coloris, quod vulgo *Basalten* vocant: cui tamen non raro admistae sunt particulae prorsus disparis naturae diuersique coloris, quae eius discrimen efficiunt: id quod pluribus ostendit Ferberus (l. c. p. 270. ss.). Omnium frequentissimum appellatur *Basaltes orientalis niger*, admodum durus, granulis tenerrimis, iisdemque maxime homogeneis, concretus. Alterum dicitur *Basaltes orientalis niger crystallis minutis immixtis*, estque coloris cineritii, et eiusdem fere,

fere, cuius antegressum, naturae, nisi quod crystalli candidae, valde minutae, et granatis simillimae, in eo sparsae cernantur. Statuas, ex hoc lapide caesas, videre licet in villa Albani Eminentiss. Est tertium genus, *Basaltes orientalis niger, vulgo fiorito* dictus, cuius maculae nigrae et candidae, flucticulisque confusis similes faciunt, vt marmoris speciem prae se ferre videatur. Quartum vocatur *Basaltes orientalis cum partibus constitutiuis granitis aequabiliter mixtis*, estque niger, admodum durus et granulis tenerrimis quasi compactus. Cui qua via et ratione admistae fuerint particulae granitosae, coniectura probabili docet Ferberus (l. c. p. 272.). *Isidis stantis* simulacrum, ex lapide simili fabricatum, reperitur prope ianuae, in Museum Capitolinum deducentis, latus sinistrum collocatum. Quinto nomen est, *Basaltes orientalis, fasciis granitosis*, qui est lapis ille, quem *nigrum* s. *atrum* vulgo nominant. Fasciarum, granulis rufis granitosis effectarum, originem admodum verisimili coniectura explicat Ferberus (l. c. p. 273.), qui duas Sphinges ad scalam palatii Capitolini, cubantes et aquam quasi euomentes, ex isthoc lapide fabricatas testatur. Ex reliquis, memoratu non magnopere dignis, nominare placet *Basalten orientalem viridem*, qui lapis constat particulis non nisi homogeneis viridi colore, eisque spisse ac sine vlla crystallorum admistione compactis. Ex eo statuae ingeniose et affabre factae tam in Museo Capitolino, quam in Albani Eminentiss. villa, reperiuntur. Est alius *Basaltes viridis, punctulis crystallinis albis* adspersus, quem vulgo *Basalte pedocchioso*, i. e. pediculis quasi obsitum, vocant, sed longe rarissimus, ex quo caesae dicuntur duae columnae, in D. *Pudentianae* aede superstites. *Atris* marmoribus adnumeratur *Numidicum*, seu *Lybicum*, ex solo patrio dictum; quod M. Lepidus omnium

omnium primus, adhibitum voluit ad domus suae limina paranda (Plin. H. N. l. XXXVI. c. 6. p. 732.): tum *Lucullеum*, quod in Nili insula quadam natum, L. Lucullus primus Romam deuehi et vsurpari iussit, et id cognomenti ab amatore adeptum est, (Plin. eod. l.). Sed quod hic domus suae columnis caedendis destinarat, id M. Scaurus posthac ad similes, in atrio collocandas, easque duodequadragenum pedum altas, impendit (Plin. l. c. p. 723.). Eo porro pertinet *Thebaicum*, interstinctum granis flauis, vel, quod Plinius scribit (l. c. p. 735.), aureis guttis; inueniri suetum in Africae parte, Aegypto adscriptae, vnde *Thebaici* cognomen exstitit. Denique lapis *Taenarius* (Plin. l. c. c. 22.) seu *Laconicus*, *Lydius* alter, seu *Heraclius* (Plin. H. N. l. XXXIII. c. 8.), item *Obsidianus*, nigri quidem sunt: sed duo priores inseruiebant metallis examinandis, et erant *Pietre di paragone*, vti ab Italis nominantur; posteriores speculis conficiendis praecipue idonei erant, iudice Hillio (Obseruatt. ad Theophrast. p. 48.). Interim opus aliquod, ex Obsidiano lapide caelatum, describit Caylus Illustriss. (Rec. d'Antiqu. T. IIII. p. 18.). Ex *viridis* coloris marmoribus non nisi duo recenset b. ERNESTI, *Lacedaemonium* s. *Laconicum* alterum, et *Carystium*; tria alia non item. De singulis nonnihil dicendum puto. Primum in Taygeti, montis in agro Spartano siti, lapicidinis effodiebatur: erat valde durum, coloris viridis iucundique saturum, ac cunctis aliis hilarius, auctore Plinio (l. c. p. 733.): quod Itali vulgo *il verde antico* nuncupant. Ferberus commemorat quidem (l. c. p. 755.) itidem aliquod *Marmo verd' antico*, sed eius de solo patrio, et natura nihil disputat: vnde dubium est, num hoc idem, quod Christius (l. c. p. 70.) an contra aliud intellectum velit. Alterum, i. e. *Carystium*, ex Carysto, Euboeae oppido, vel *Euboicum*,

cum,

tum, ex inſula ipſa, vocatum, colore erat *viride pallenti*, adeoque cano, qualem ſalicis folia oſtendunt. Hunc lapidem *il Cipollino antico* dici contendit Chriſtius (l. c.), ſed alio loco (p. 75.), quo decem columnas ſuperſtites templi, in Antonini et Fauſtinae honorem aedificati, ex illo caeſas eſſe memorat, eum ſubcaeruleum ac venis candidis penetratum eſſe ſcribit. Quod vtrumque ſimul verum eſſe non poſſe, quis eſt, qui non videat? In Aegypto alia duo genera, Auguſto et Tiberio imperantibus, inuenta caſu quodam ſunt, et alterum Auguſti, alterum Tiberii cognomentum traxit. Diſcrepabant tamen tam ab *Ophite*, quam inter ſeſe: *Auguſteum* enim candidas maculas vndatim criſpum in vertices colligebat, *Tiberianum* ſparſa, non conuoluta canitie. His verbis admodum obſcuris deſcripſit Plinius (l. c. p. 733.) horum binorum lapidum diſcrepantiam: Harduinus in nota ſubiecta eius ſententiam nonnihil explicauit. Supereſt poſtremum, itidem valde durum, *viride et iucundum*, ſed hic, illic, maculis ſparſum, quales in ſerpentibus conſpici ſolent. Hinc etiam lapis ille appellatus eſt *Ophites;* Italice *il Serpentino antico* vocatur. Similis cognomenti lapidem deſcribit Ferberus (l. c. p. 263.), aitque *Serpentino verd' antico* appellari: ac coloris diuerſi cauſſam valde probabiliter exponit. Perſequi iam placet *rubei coloris* lapides, ſeu marmora, quantum conſilio noſtro conducit. In his primum teneat locum, qui prope Syenen, inſulam et oppidum Aegypti, qua ad Aethiopiae fines pertinet, effodiebatur: quique ex ſolo patrio *Syenites*, vel *Aegyptius*, et ex punctis igneis, nigrisque valde lucentibus, quibus ipſius maſſa et textura ſubrufa diſtincta eſt, *pyropoecilos* (Graece πυροποίκιλος) appellatus eſt (Plin. l. c. l. XXXVI. c. 8. conf. Iannon di S. Laurent, l. c. §. 35. ſ. p. 37. ſ.). Itali eum *il granito orientale* vocant, auctore Chriſtio

(l. c.

(l. c. p. 70.). Ferberus istius aut plane nullam, aut alio sub nomine, fecit mentionem: Hillius contra eius meminit (Obseruatt. ad Theophrast. p. 44. f.), et artificia innumera, a Graecis et Romanis opificibus ex ipso fabricata, superesse contendit. Christius non nisi sedecim columnas ad Panthei pronaon pertinentes, ex eo caesas memorat (l. c. p. 73. conf. Weinligs Briefe über Rom, Band III. Br. 32. S. 60.). *Purpureo colore* est, quem itidem ex Aegypto petitum, plerumque *Porphyriten*, et ex punctis candidis, quibus ipsius massa purpurea quasi obsita est, *leucostiction* vocarunt, hodieque vocant (Plin. l. c. c. 7.). Christius de eo differens (l. c. p. 70.) hodie ab Italis vsurpari ait, *il Porfiro antico:* et hic, nisi me omnia fallunt, idem ille est, quem Ferberus (l. c. p. 260.) sub nomine *Porfido rosso* describit, adiecta simul coniectura valde probabili, qua candidas rufi lapidis maculas texturamque mirificam, quantum fieri potest, explicat. Lapides complures alios ex Porphyritarum genere, recenset Ferberus (l. c. p. 261.), vt, *atrum, fuscum, viridem,* ac varias cuiusque generis formas: sed singulos dicendo persequi vetat tam instituti ratio, quam operum, ingeniose affabreque ex eis factorum, inopia. Qui de lectoribus nostris singulorum naturam et rationem, aeque ac discrimen pernoscere auet, ei commentationem Ferberianam adire suademus. Superest marmor *flauum* seu *cereum*, idque multis nominibus commendabile, quod Christius (l. c. p. 71.) in Aegypto intima, pone ipsas Thebas, prope Damascum, in India, Asia minori, et Thaso, insula, effossum; et Latine, *onycem, alabastriten,* vocatum esse demonstrat. Super quo etsi cum viro harum rerum peritissimo, contendere nolim; fateor tamen, me subuereri, ne is leuiter hallucinatus sit, quum neque onycem, neque alabastriten, flaui coloris esse constet.

Sed

Sed fieri poteſt, vt τὸ *flauum* ſenſu proprio non acceperit, ſiquidem columnas Panthei interiores ex Alabaſtrite, contra in Traiani ac Conſtantini arcubus ſuperſtites, et ex Thaſio lapide caeſas, vno eodemque cognomine, i. e. *giallo antico*, ornat: quod in poſteriores recte et vere quadrat; in priores non item, niſi τὸ *flauum* pro eo, quod *ſubflauum* et *ſubalbidum* eſt, accipias. Reſtat id lapidum duriorum genus, quos vulgo *Graniten* vocant; et ex quo Obeliſcos Aegyptiacos non ſine labore et patientia incredibili caeſos politosque eſſe, nemo fere eſt, qui neſciat. Reperiuntur variae huius generis formae, quas Itali *Graniten rufum* (Granito roſſo) *griſeum*, vel *cinereum* (Granito grigio, o bigio) *nigrum* (Granito ner' e bianco) *viridem* (Granito verde) vulgo appellant. Singulas graphice deſcripſit Ferberus, V. Celeberr. (l. c.), cuius commentarium lectitare iubeo lectorem, res ſimiles diſcendi cupidum. Hoc vnum monere placet, ex eo lapide caeſas eſſe octo columnas praegrandes, in Diocletiani thermis ſuperſtites: quales etiam fuiſſe conſtat in Caracallae thermis, hodie penitus fere collapſis, aut deuaſtatis. Atque haec quidem de marmoribus diſputare, ac veluti epimetrum aliquod ad ERNESTI τῦ πάνυ libellum adiicere viſum eſt.

EXCVRSVS V

AD PART. I. CAP. III

DE GEMMIS cet.

Sequitur, vt Capiti *de Gemmis et aliis lapidibus nobilioribus* Epimetrum, antegresso fere simile, subiiciam, et, quantum fieri potest, paucis attingam locum, ad explicandum non minus difficilem, quam superiorem de *marmoribus* fuisse patet. Auctor immortalis tres indicauit caussas (§. 2.) huius difficultatis; cuius, mihi quidem, plures esse videntur. Nimirum credibile est, gemmarum, quas scriptores antiqui enumerarunt, complures hodie aut non amplius inueniri, aut, si inuenias, cum non ita, vt quondam, parentur ac poliantur, gemmarios nostros cum viris aliis, rerum similium peritissimis, in eis non posse videre colores et characteros, quos iusta, qua decebat, ἀκριβείᾳ non indagatos, nec indicatos, illis temere attribuerunt. Sic censent plerique, qui gemmarum nomina, hodie vsurpari sueta, naturam et rationes, item colores, aliasque proprietates, comparare cum Plinianis, ac sententias discrepantes quasi conciliare adgrediuntur. Sunt quidem, qui Plinii potius, quam recentiorum vocem et auctoritatem sequendam esse contendant, neque eum, super hoc loco disputantem labi decipique potuisse, largiri velint; propterea quod is, vir tam eruditus ac celeber, tantum auctoritate pollens, et apud ipsos imperatores perquam gratiosus, plenam et accuratam, vt rerum aliarum, ita gemmarum quoque, notitiam habere debuisset. Verum ego horum in sententiam abire haud-

haudquaquam possum, plane persuasus, hominem, qualis Plinius fuit, nec omnia scire, et, vt permulta scierit, scribendo errare potuisse. Multiplicem huius viri scientiam, et libros ab eo conscriptos, quibus solis plurimarum rerum cognitionem debemus, maximi, vt par est, facio: sed credo etiam, nec eum ab omni errore prorsus liberum, ac paene diuinum fuisse, nec hos ita exactos esse atque perpolitos, vt plane nihil falsi, nihil errati, in eis exponatur *). In quo mihi facile adsensurum arbitror, qui animo satis expendit, quam studii et librorum scribendorum rationem, graphice ab eius nepote et filio adoptiuo descriptam (Epistol. l. III. ep. 5.) tenuerit; quam vastam, et quam immensam rerum longe diuersissimarum copiam, hominum plurimorum, nedum vnius, viribus vix aequam (vt Horatiano illo vtar) in eis tetigerit; et quam inopinata morte praepeditus, res ex amplius mille libris excerptas recte pensitare, comparare, diiudicare, eoque libros in iustum ordinem redigere haud potuerit. Accedit, quod credibile est, rerum tam variarum, tam incognitarum, de quibus in opere isthoc Pliniano disputatur, vocabula, itidem parum cognita et vsitata, librariorum saepe stupidorum culpa, negligentiaue, mutata vel deprauata esse, ita quidem, vt

*) *Stephani Falconeti*, statuarii aetatis nostrae perquam celebris, versionem Gallicam l. XXXIV, XXXV, et XXXVI. Historiae Natur. Plinianae, notis illustratam, praeter commentationes alias, ad Artes elegantiores referri solitas, excipit Anonymi, nescio cuius, commentariolus ingeniosus, et sale multo plenus, inscriptus: Ce que c'est que Pline l'Ancien, p. 183. ss. vol. 2. edit. sec. quo luculenter demonstratur, Plinii auctoritatem non esse, nec esse posse ac debere, tantam, vt ei temere adsentiri oporteat.

vt auctor non raro secum ipse pugnare videatur. Id quod existimauit etiam Vir, omni laude mea maior, Vrbanus Frider. Benedict. Brückmannus, dux viae, quam ingressurus sum, peritissimus atque certissimus, qui in praefatione Commentarii longe praestantissimi atque ingeniosissimi super gemmis, cum duplici appendice promulgati, hoc idem recte vereque monuit, et Plinii patronis imprudentibus, iustoque cupidioribus inculcauit. Quae omnia quum ita sese habeant, tantum abest, vt Romanum hunc scriptorem solum, et qui post ipsum eodem de loco exposuerunt, vt, Isidorum, Marbodaeum, Anselm. Boetium de Boot, Ioann. de Laet, Boylium, alios, sequi possimus, vt potius Brückmanno potissimum duce et auspice, quaestionem hanc satis spinosam explicare velimus ac debeamus. Praeterea consulere placet Ian. de S. Laurentio dissertationem, quam supra diximus, et quae ad rem nostram conducunt, inde repetita hic simul afferre; hac tamen lege, vt non tam gemmarum, colorum, quibus splendent, ac reliquarum proprietatum origines et caussas physicas indagemus exponamusque, quam ea tantum breuiter strictimque dicendo persequamur, quae ad iustam τȣ *Antiqui* notitiam atque aestimationem necessario pertinent.

Gemmas, in vniuersum, easque *confessae nobilitatis*, appellant lapillos, qui lapides quoscunque alios superant eo, quod sunt pellucidi, in primis duri, firmi et durabiles, laeues ac mirifico, postquam bene politi sunt, splendore, perquam rari, et colorum suauitate iucundissimi. Huiusmodi proprietates omnes ac singulas in vno eodemque lapillo semper, simul, et eodem gradu iunctas, caue, exspectes: interim in quo earum plures adsunt, eo pulcrior et perfectior est censendus, eoque maioris est aestimandus. Sic gemmae, vt hoc vtar, non omnes sunt prorsus translucidae;

dae; sed multae non nisi *semipellucidae*, aliae prorsus *opacae*. Rursus aliae aliis sunt duriores vel molliores: aliae vehementius, aliae, quamquam valde politae, debilius radiant et nitent: alias color perquam suauis et hilaris, alias admodum pallidus, et quasi fugiens seu euanescens, alias plane nullus commendare solet. Quae earum proprietates admodum dissimiles vnde nascantur, in scholis physicis docetur, et lector, qui rem explorato scire auet, V. C. Brückmanni commentarium adeat, necesse est: in quo, quae illarum de solo patrio, de solita quasi matrice, de discrimine hinc nascente, de colorum varietate et caussis verisimilibus, de formandi, poliendi, et magis velut exornandi via et ratione, verbo, quaecunque de illis tenenda sunt, recte et ordine enarrantur. Nobis pauca inde delibata huc transscribere licebit.

Ab *Adamante* exordior, eo quod huic non solum ERNESTI ὁ μακαρίτης, sed etiam veterum recentiorumque mangonum iudicium, prae omnibus, quotquot sunt, gemmis principatum deferre solet. Quae Plinius de eo scripsit (H. N. l. XXXVII. 4.), nec adamanti nostro conueniunt, ea fecerunt, vt lis non facile componenda exoreretur inter viros eruditos, quorum alii ipsum mendacii accusare non dubitarunt, alii, vt Lipsius (ad Senec. de Constant. c. 3.) et Christius (Mus. Richter. p. 210.) defenderunt, rati, ipsius adamantem a nostro plane diuersum esse. At enim vero vt duo, quos dixi, ingeniosos Plinii patronos verum vidisse largiar; tamen auctoritatem clientis, cuius caussam egerunt, hodie sequi non licet, quoniam ea momenti plane nihil habet nec ad τȣ̃ *Antiqui* rationem et praestantiam intelligendam, nec ad lapillorum, quos hodie *adamantes* vocare, eoque nomine venditare solent, veram et exactam cognitionem, atque hinc pendentem cautionem, ne ficticiorum

K 2 specie

ſpecie fallamur, prouehendam. *Adamas* igitur, qualem hodie habemus, et ex periculis quam plurimis nouimus, lapillus eſt duriſſimus, ponderoſiſſimus, maxime translucidus et ſcintillans, ideoque etiam pretioſiſſimus. Is, natus ex Quarzo nobiliſſimo (ſic appellat Generoſiſſimus a Born, mihique, ſpero, licebit, vocabulis in hoc loco explicando vſitatis, breuitatis cauſſa, interdum vti) cryſtalli formam et rationem prae ſe fert, defractus e ſilice, aliaue quaſi matrice, ſcintillat vitroque ſimilis eſt, ad chalybem illiſus reapſe ſcintillas excutit, acie ſua cum vitrum et lapidem quemque duriorem, tum ſemet ipſe diſſecat, nec vlla materia alia, niſi quae ex ipſo, ſiue in cruſtas minutiores fracto, ſiue in puluerem contuſo, parata eſt, tractari, poliri, conſilioque vario aptari poteſt. Nec limae longe acutiſſimae atque duriſſimae, nec liquores acidiſſimi vehementiſſimique vel minimum eius demunt: verbo, nil niſi ignis flagrantiſſimo aeſtu, qualem ſpecula, quae vulgo vſtoria dicuntur, aut pilae cryſtallinae, ſeu vitra alia, aduerſis poſita ſolis radiis excitare ſolent; vel vaſa vitrea et porcellana, in fornacibus coquenda requirunt, eum obſcurandi, quin tandem prorſus macerandi, et in merum vaporem redigendi vim habere, hodie conſtat, (v. Brückmann. l. c. p. 61. ſſ. coll. Hill. Obſeruatt. ad Theophr. p. 105. qui ſimul docet, quam adamantis ſuperficiem igni vehementiſſimo, per ſpecula vel vitra, quae dixi, excitato, recte opponere oportet, vt vim in eum ſuam exſerere poſſit). Haec adamantis natura veteres prorſus latuiſſe videtur, (v. Theophr. l. c. §. 32. p. 99. Plin. l. c.). Iſtum adhuc rudem, necdum politum, figura duplici, cryſtallina aut ſilicea eſſe ferunt. Vtriusque generis rationem deſcribit idem Brückmannus (l. c. p. 64. ſ.). Recte politi, maxime translucidi ſunt, albi, et aquae limpidiſſimae ſimiles; ita

tamen, vt complurium candor, munditics et claritas magnopere inter se differant. Inueniuntur tamen, quamquam admodum raro, etiam virides, rubei, flaui; quin alii nigricante, fusco, subluteo, subuiridi seu cano et quasi liuido colore: quorum posteriorum natura et adspectus vt oculis minus iucundus est et hilaris, ita facit quoque, vt despiciantur, nulliusque pretii aestimentur; priorum contra color et splendor suauissimus, viridis potissimum et citreus, eiusmodi lapilli pretium insigniter augent, ita vt non nisi carissimo vendantur. Colorum, quos dixi, in adamante nitentium caussas probabili coniectura assequi voluit Hillius, V. Cel. (l. c. p. 104.). Ceterum quae praeterea de *adamantis* solo patrio, eius anquirendi, poliendi, scalpendi ratione, et pretio scienda sunt, ea copiose exposuit Brückmannus, V. Cel. (l. c. p. 66. ss. it. Append. I. p. 20. ss. et II. p. 34. ss.): cuius libros adeat lector, plura de hoc lapillo discendi cupidus. Vnum, quod de eo moneam, superest: nimirum priscos Graecorum et Romanorum artifices nihil aut scalpendo, aut caelando, ex eo parasse, ita vt vere *Antiquum* appellare possis. Id quod quisque, qui dactyliothecam coepit instruere, probe teneat, oportet, ne mangonum astutia deceptus, pseudo-adamantem, summum, Sapphirum candidam pro vero adamante, et quasi nubem pro Iunone amplectatur, (v. Hill. Obseruatt. ad Theophr. p. 133.). Ac non nisi talem esse plerique censent, quem Dux Bedfordiensis, Britannus, in dactyliotheca sua, ceu adamantem antiquitus scalptum iactare solet, (v. Mariette sur les pierres gravées, T. I. p. 91. et Büschings Geschichte und Grundsätze der schönen Künste und Wissenschaften im Grundriss, p. 8.). Adamas verus non nisi per recentiores quosdam gemmarios, ab exeunte fere saeculo XV. scalpi coeptus est.

 Alte-

Alterum in gemmis locum tribuere ſolent viri, harum rerum periti, *Rubino*, quem priſci ſcriptores *ἄνθρακα*, *Carbunculum*, *pyropum*, *carbonem*, cet. appellarunt. Quae Theophraſtus, Plinius, Hillius, Linnaeus, alii, de eo ſcripſerunt, legere licet in V. C. Brückmanni commentario (p. 88. ſſ. it. App. I. p. 44. ſ. et II. p. 49. conf. Iannon di Laurent, l. c. Cap. 17. §. 68. ſſ. p. 66. ſ.). Is eſt lapillus igneus, ruber, natura quarzoſus, qui e ſilice, ſiue matrice, defractus vehementer ſcintillat, cryſtalli figuram prae ſe fert, igni vel vehementiſſimo affectus coloris ſui nihil amittit, et chalybi alliſus ſcintillas ſpargit. Huius generis lapilli vt colore et duritie, ita pretio etiam differunt. Eorum praeſtantiſſimus, rariſſimus et pretioſiſſimus, colore ſcintillans purpureo, eoque ſaturo ac velut auſtero, non niſi in regionibus, ſolem orientem ſpectantibus, et ipſo adamante rarius, inuenitur. Sed quod maximum eſt, lapillus ſimilis ne per vehementiſſimi quidem ignis aeſtum liqueſcit, nec coloris et nitoris quidquam amittit. Reliquorum alius colore eſt ſubrubro; alius violaceo, quem Plinii *amethyſtizonta* eſſe credunt; alius coccineo; alius croceo ſeu luteo, eoque minus iucundo, quem ſunt, qui *Rubicellum* dicant, alii *hyacinthis* adnumerare malint. Reliqua, quae de ipſorum natalibus, de probabili colorum diuerſorum origine et cauſſa, de poliendi ratione tradit dux, quem ſequimur, praeclariſſimus, attingere non neceſſe eſt, quoniam priſci artifices eos ſcalpro caeloue caedere aut nequierunt, aut noluerunt (v. Büſching l. c. p. 9.), adeoque ad augendam *τῆ Antiqui* cognitionem nihil prodeſſe poſſunt.

Tertium locum, ex virorum, in hac diſciplina verſatorum, decreto *Sapphirus* occupat; quam Linnaeus *Alumen lapideum caeruleum* nominandam cenſuit.

Is

Is lapillus, quem nos hodie habemus, itaque appellamus, auctore V. C. Brückmanno (l. c. cap. 7. p. 96. ſs. et App. I. p. 51; II. p. 53. ſſ.) eſt caeruleus, pellucidus, natura quarzoſus, qui e ſilice, aliaue matrice, defractus, vitri ſpeciem, cryſtallique figuram prae ſe fert, illiſus chalybi ſcintillas edit, igni impoſitus colore priuatur, nec tamen facile ita, vt liqueſcat, eius vi et impetu calefieri poteſt. Eadem fere, qua Rubinus, duritie eſt, ideoque proximum ab hoc locum tuetur. Quod Theophraſtus (de Lapid. §. 43. p. 124.) et Plinius (H. N. l. XXXVII. c. 9. p. 783.) de *Sapphiro* et *Cyano* tradunt, comparatum eſt ita, vt horum lapillorum neuter, pro *Sapphiro*, quam hodie vocant, haberi poſſit. Quum tamen veriſimile non ſit, eos hanc penitus ignoraſſe: ſunt non pauci, qui ipſorum *Amethyſtum* nil, niſi *Sapphirum* noſtram eſſe contendant; quod tamen Brückmannus haudquaquam credibile exiſtimat, cui aeque, ac Hillio (l. c. p. 130.), ipſorum *Beryllus aeroides*, lapillus pellucidus et aerizon, ſiue coloris caeſii, aetheri ſimillimi, idem, qui nobis *Sapphirus* dicitur, fuiſſe videtur. Huius de patria, coloris cauſſa et figura (quamquam plerumque deformis, veluti ſilex, in arena et fluminibus inueniri ſolet), quae Brückmannus V. C. exponit, ſilentio praetermittere oportet: contra vero attingere, eius colorem diuerſimode variare; ſiquidem in alia, eademque praeſtantiſſima et pretioſiſſima, nitet color cyaneus, purpureo perquam affinis; in alia mere caeruleus ſeu caeſius, qualis in aqua limpida, et caelo ſereno apparet; in alia caeruleus quidem, ſed ſimul virideſcens, et Smaragdo accedens, vnde *Sapphirus praſitis* appellatur; in alia denique caeruleus albeſcens, quin ſaepenumero paene candidus, et lacti diluto ſimilis, qualem *Leucoſapphirum* nuncupant. Earum eolor vitioſus ac minus aequabilis, ignis adiumento, emen-

 dari

dari quodammodo, et in candidum mutari ſolet: quo facto, ſi bene politae et annuli palae incluſae ſunt, veluti adamantes debiliores ſcintillant, et a mangonibus, quod paullo ante dixi, pro his iactitari, et emtoribus cupidis, nec niſi rariora amantibus, cariſſimo venditari ſolent. Ceterum Sapphiris ſcalpendis multum operae impenderunt priſci artifices, quod e dactyliothecarum indicibus ſatis apparet.

Sequitur, vt de *Smaragdo* nonnihil exponam, cui, viriditate ſuaui hilarique bene ſaturo, mangones quartum inter gemmas locum deferunt, quemque *Nitrum quarzoſum viride* appellandum cenſuit Linnaeus. De hoc lapillo diſputat Brückmannus Celeb. (l. c. p. 101. ſs. et Append. I. p. 51. ſſ. II. p. 56. ſſ.) qui paucis perſequutus, quae Theophraſtus (l. c. §. 44. p. 134. ſs.) et Plinius (H. N. l. XXXVII. c. 1. et 5. p. 765. et 774. coll. Iannon di Laurent l. c. c. 18. §. 70. ſſ. p. 69. ſs.) de eodem tradidere, gemmam eſſe ait pellucidam, quarzoſam, quae effracta e ſilice, ſeu matrice alia, vitro ſimilis, cryſtalli figura, et colore gramineo nitidiſſimo ſit, atque pulcerrime ſcintillet, duritie tamen Rubino et Sapphiro multum cedat, ignique vehementiori impoſita colorem prorſus, et magnam duritiei partem amittat, quin tandem, et per ſe ſola, et per chryſocollam admixtam, colliqueſcere et in vitrum permutari ſoleat. Quae ad illius ſolum patrium, ad probabilem coloris, quo nitet, cauſſam, ad reliquas proprietates pertinent, de induſtria non tango, propterea quod ea libelli huius conſilium non neceſſario requirit; ideoque hoc vnum reor memoratu dignum eſſe, ſmaragdos reperiri, alios viriditate hilari et iucunda, pallente fere, ſed nihilo ſecius vehementer radiante; alios viriditate ſatura, auſtero, et vere gramineo colore, ſed propter hanc ipſam auſte-

ritatem

ritatem minus ſcintillante; illosque his longe praeferri ſolere tam a mangonibus, quam a viris harum rerum peritis. Ceterum eiusmodi Smaragdos praeſtantiores a priſcis artificibus ſcalptos caelatosue non facile reperias: quibus num per decretum, a Plinio indicatum, (H. N. l. XXXVII. c. 5. p. 774.) pepercerint, an aliam ob cauſſam, non liquido conſtat. Fieri poteſt, quod nonnulli pro vero affirmant, vt eis aeque ac reliquis gemmis pulcerrimis, pellucidis et colore ſuauiſſimo bene ſaturis, vt, Rubinis, Sapphiris, aliis, de induſtria parcere voluerint, nequid praeſtantiae ſuae naturalis amittere viderentur, manu humana vel minimum inde demente. Quodſi qui ex his Plinii verbis (l. c.) *ſcalpentibusque gemmas non alia gratior oculorum refectio eſt: ita viridi lenitate laſſitudinem mulcent*, opinionem plane oppoſitam efficere ſolent: iſti, me iudice, non peruiderunt, ſcriptorem Rom. verbis illis, qua via et ratione tales artifices oculos, a diuturno ſcalpendi labore et contentione feſſos, reficere et recreare ſueuerint, indicare voluiſſe. Qui pictorum noſtrorum morem non ignorant, eos mihi facile adſtipulaturos opinor. Tandem non verae, ſed pſeudo-ſmaragdi olim fuiſſe, aut hodie eſſe videntur, quarum altitudo et craſſitudo praedicata eſt, et cum maxime praedicatur (v. Theophr. l. c. §. 44. p. 135; §. 45. p. 142. ſſ.; conf. Hill. Obſeruatt. ad h. l. p. 139. et Baumgärtner. not. p. 142.).

Hyacinthum, quantum inſtituti noſtri ratio poſtulat, deſcribere adgredior. Eum, a Linnaeo inclyto *Nitrum quarzoſum fuluum* appellatum, ita definit V. C. Brückmannus, (l. c. p. 109.) vt ſit lapillus pellucidus, perdurus, rubedine flaueſcente, ex quarzo natus, qui defractus vitri naturam et cryſtalli figuram prae ſe fert, chalybi illiſus ſcintillas igneas ſpargit, igni

vehementiori aduſtus colore natiuo priuatur, neque tamen in eo per ſe ſolus liqueſcit. Hanc gemmam veteribus ſatis cognitam fuiſſe, ſed *Lyncurium* ab eis nuncupatam, exiſtimauit Hillius (Obſeruatt. ad Theophr. §. 50. p. 166. ſſ.), nec repugnat dux, quem ſequor, intelligentiſſimus. Is, deſcriptionibus Theophraſti et Plinii nonnihil oppoſitis, quantum fieri poteſt, conciliatis, lapilli, de quo quaeritur, natales, varias proprietates, diuiſionem duplicem, quin veri, ſimilem coloris cauſſam, ac poliendi rationem indicat, et quintuplex ipſius genus, ex coloris diuerſi ratione naſcens, eſſe demonſtrat. Primus eſt *hyacinthus coccinei coloris*, qui haud dubie pulcerrimus, rariſſimus, ac ſplendore maxime igneo, quam proxime accedit ad coccineam ſcintillantemque auſteritatem. Alter eſt *coloris crocei*, antegreſſo nonnihil cedens nitore igneo, ſed pulcer tamen et gratioſus: tertius *citrei coloris*, quem non male ad Topazii claſſem referre poſſis: quartus *colore ſuccineo*, quo eſt electrum, ſiue ſuccinum furuum, quem ideo Plinii *Chryſelectrum* eſſe, putant nonnulli: quintus denique *colore melleo*, qui propter coloris vitioſitatem minoris pretii eſt, et tantum non deſpicitur. Priſcos artifices *hyacinthos* ad ſcalpendum et caelandum adhibuiſſe, loquuntur gemmae in dactyliothecis compluribus adhuc ſuperſtites. Plura de hoc loco diſputare non neceſſe eſt.

Topaſio, ſeu *Topazio*, paucis iam deſcribendo, cognomenta dediſſe varia ſcriptores veteres, ex eorum libris apparet: appellatur enim *Chryſolithus*, *Chryſelectrum*, *Leucochryſus*, *Capnias*, ſiue *Morio* cet. Linnaeus eum *Nitrum quarzoſum luteum*, et, mutata poſthac ſententia, *Muriam lapideam pellucidam flauam* nominauit. Eſt autem lapillus pellucidus, flauus, qui quarzi naturam, et defractus ex ſua quaſi matrice,

vitri

vitri ſpeciem ac cryſtalli figuram habet, igni aduſtus colorem amittere, neque tamen ipſe per ſe liqueſcere ſolet. Sic eum deſcribit Brückmannus V. C. (p. 115. ſſ.): qui, allatis, quae de ipſo memorauit Plinius, copioſe diſputat (l. c. p. 67. ſſ. it. App. I. p. 67. ſſ. et II. p. 66. ſ) de eius ſolo patrio, et inſigni, qua colorem, bonitatem atque praeſtantiam, diſcrimine inde pendente, de figura varia, de probabili colorum diuerſorum cauſſa, ac reliquis proprietatibus mutationibusque, quas ignis vehementioris aeſtu et vi in eo effici, complura pericula chemica docuerunt. Haec omnia vt ad τȣ *Antiqui* cognoſcendi ſtudium non pertinent, ita hoc loco ſilentio praetermitti poſſe arbitror. Quare non niſi de vario Topaſiorum colore pauca in medium profero. Qui in regionibus, ſolem orientem ſpectantibus, inueniuntur, colore ſunt flauo, eoque auſtero, flauo viridante, ſuffuſculo, rufo fere diluto: quos Braſilia fert, igneo flaueſcente vel citreo: alii rubro, croceo, flauo viridante, ſubflauo et albicante. Qui a multis *capnias*, *morio*, *pramnion* vocatur, et Topaſiorum generi adnumeratur (Rauchtopas), is a Plinio (l. XXXVII. c. 10.) dicitur gemma Indica, nigerrimo colore translucens: Brückmannus eum ait colore eſſe fuſco, plus, minus, ſaturo. Omnibus quaſi palmam praeripit Braſilianus flammei et citrei coloris, propter ſcintillantem, quo radiat, nitorem et duritiem, ad Rubini et Sapphiri quam proxime accedentem. Quos habuere, frequenter ſcalpere non dubitarunt priſci artifices.

Topaſium illico excipiat *Chryſolithus*, eoque magis, quo ſaepius Graeci et Latini ſcriptores vtrumque nomen promiſcue vſurparunt. Quem hodie *Chryſolithum* appellant viri, harum rerum prudentes, is colore eſt aureo viridante, ideoque a Linnaeo dictus

Nitrum

Nitrum quarzoſum pellucidum ex flauo virideſcens. Deſcriptionem pleniorem ſuppeditat V. C. Brückmannus (l. c. cap. 11. p. 124. ſ.): qui, Eſt, inquit, lapillus quarzoſus, pellucidus, colore flauo vel aureo viridante, qui defractus vitri naturam, et cryſtalli figuram habet, ſed parum durus, ita, vt lima facile nonnihil ex eo abradere poſſit. Certiſſimus, quem ſequor, viae dux plura de eius patria, natura, veriſimili coloris origine, proprietatibus aliis differit, quae transſcribere inſtituti noſtri ratio haud permittit. Superant in dactyliothecis Chryſolithi affabre ſcalpti.

Granati vocabulum, quo hodie ſingulare gemmarum genus deſignant, nec Plinius vſurpauit, nec Theophraſtus: qui, vterque, vt alii ſcriptores priſci, pleroſque lapillos rubro colore nitentes, atque adeo *Granatos* etiam nonnullos, *carbunculis* conſociaſſe creduntur: vt, carbunculis Mileſiis, Orchomeniis, Arcadicis, Chiis, quos Theophraſtus (l. c. §. 32. p. 99. §. 62. p. 194.); vt, *lithizontibus*, qui languidius ac liuidius lucent, *Carchedoniis*, et *Alabandicis* colore nigriori, quos Plinius (l. XXXVII. c. 7. p. 779. conf. Jannon di Laurent l. c. cap. 16. §. 66. p. 64. ſs.) deſcribit. Ita quidem iudicat Hillius (Obſeruatt. p. 100. 195.) atque Brückmannus (l. c. p. 127). Eiusmodi lapillus, *Borax granatus* a Linnaeo dictus, eſt colore rubro, pellucidus, natura quarzoſus, qui e caute vel ſilice defractus, adſpectu vitreus, et cryſtalli figura praeditus eſt; in flamma mediocri colorem non amittit, in vehementiori autem, per ſe ſolus liqueſcens, in vitrum transmutatur. Eorum de ſolo patrio, matrice communiori, proprietatibus aliis, per pericula chemica exploratis, qui plura cognoſcere auet, is commentarium Brückmannianum (p. 127.) et Append. I. (p. 80. ſſ.) item II. (p. 74. ſſ.) euoluat, neceſſe eſt.

Nos,

Nos, quoniam eis pepercisse artifices vetustos credunt plerique viri, τȣ̃ *Antiqui* peritiores, de iis, praeter colorum diuersitates, nihil exponere volumus. Nimirum Granati alii sunt colore rubro austero et nigrescente, quo fere esse solent mora, sed qui luci soliue aduersus po[illegible]i, nitore igneo radiant, adeoque probabiliter ii, qui priscis carbunculi Carchedonici, Alabandici et Garamantici vocabantur: alii colore subfusco rubenti, et hinc minus iucundi et aestimati: alii colore balaustino, qui vt pulcerrimi, ita pretiosissimi putantur: alii colore fere croceo, vel hyacinthino, quales veterum granati Sorani, qui posteriores, si bene translucidi sunt, facile cum hyacintho permutari possunt: alii colore cyaneo vel violaceo, quos Itali maximi faciunt, et vulgo ***Rubini di Rocca*** vocare solent: alii denique colore nigricante, eoque nec puro, nec pellucido, et hanc ob caussam ex gemmarum numero excludendi. Atque haec de Granatis sufficiant.

Progredimur ad ***Amethystum***, quem ***Nitrum quarzosum pellucidum purpureum*** vocat Linnaeus. Is lapillus est violaceus, translucidus, quarzo quam proxime accedens, qui effractus vitri adspectu et crystalli figura praeditus est, ac si ignis vehementioris aestu afficitur, colorem quidem amittit, neque tamen per se solus liquescit. Ac quem hodie ***Amethystum*** vocant, eumdem prisci quoque scriptores hoc nomine ornasse videntur. Theophrastus describit eum (l. c. §. 54. coll. Hill. Obss. p. 175. 178.): plenius adhuc Plinius (l. XXXVII. c. 9. p. 788. ss.) quorum e verbis efficit cogitque V. C. Brückmannus, vtrumque granatos quosdam, aliosque lapillos, Amethystis adnumerasse. Idem vir eruditissimus de eorum solo patrio, diuersa natura et figura, antequam poliantur, item colore et verisimili huius caussa, duritie, aliis, copiose disputat;

tat; quae, a consilio nostro aliena, praetermittenda duco. Ceterum lapillorum istorum alii colore sunt rubro austero vel purpureo, quos, sunt, qui *Rubinos violaceos* appellare malint; alii violaceo, eodemque bene saturo, quos, si quidem purissimi sunt et lucidissimi, pulcerrimos esse censent; alii violaceo diluto et pallido, qui nonnunquam in candidum transit; alii tandem subfusculo et ferreo, qui, vtpote vitiosi, despiciuntur. Ac quoniam Amethystus aeque, ac Sapphirus et Smaragdus, ignis vehementioris vi aestuque colore suo priuatur, is posthac, si quidem ex orientalium genere sit, e flammis prodit eodem prorsus, quo adamas, nitore et splendore radians, et huic adeo similis est, vt mangones et gemmarii vel acutissimi in eo discernendo facile labi queant (v. Hill. Obss. ad Theophr. p. 179. et Brückmann. l. c. p. 139. s.). Quod eorum caussa monitum volo, qui dactyliothecas instruere parant. Supersunt *Amethysti*, quos scalpserunt prisci artifices: quin hos *Lippertus*, nostras, et vir prorsus singularis, pluribus obseruat locis (vt, Dactyliothecae, vernacula ab eo ipso scriptae, vol. I. p. 195. 222. it. II. p. 206. alibi) simili in lapillo scalpsisse figuras, quibus maximopere delectati essent. Vnum si adhuc moneo, nemo, reor, me facile reprehendet. Nimirum lapilli, de quo quaerimus, nomen factum est ex *α* priuatiuo, et *μεθύω* ebrius sum, propterea quod eum homines, a quibus in annuli pala gestabatur, aduersus ebrietatem munire, temere credebant Graeci. Quo spectat Platonis, iunioris, epigramma (Antholog. l. IV. tit. 18. p. m. 350.) scriptum in Bacchum, amethysto incisum:

Ο λίθος ἔστ' ἀμέθυστος· ἐγὼ δ' ὁ πότης Διόνυσος.
Η πειθέτω νήφειν, ἢ μαθέτω μεθύειν.

Neque

Neque minus hoc Asclepiadae, quod (ibid.) ſtatim ſequitur:

> Εἰμὶ μέθυ τὸ γλύμμα σοφῆς χερὸς, ἐν δ' ἀμεθύςῳ
> Γέγλυμμαι· τέχνης δ' ἡ λίθος ἀλλοτρίη.
> Αλλὰ κλεοπάτρης ἱερὸν κτέαρ· ἐν γὰρ ἀνάσσης
> Χειρὶ θεὸν νήφειν καὶ μεθύουσαν ἔδει.

Verum haec, velim, *ὡς ἐν παρόδῳ*, et *ἀπροσδιονύσως* dicta exiſtimes.

Inſtituti ratio poſtulat, vt in gemmis deſcribendis ſequatur *Beryllus*, quem Itali *aqua marina*, Galli *aigue marine* vulgo nuncupant; Linnaeus *ὁ πάνυ*, nomine *Nitri quarzoſi pellucidi ex viridi caerulei* ornauit. Eſt lapillus pellucidus, caeruleus virideſcens, i. e. qui viriditatem puri maris imitatur, defractus vitri ſpeciem ac cryſtalli figuram prae ſe fert, ignis aeſtu et violentia colorem amittit, et ſolus per ſe liqueſcit. Ex his, quae Plinius de illo (H. N. l. XXXVII. c. 6. p. 776.) memorat; Theophraſtus enim ne nominat quidem: ſatis perſpicuum eſt, veteres ſcriptores eumdem quem nos, hoc nomine deſignaſſe; alios eius colorem non temere cum eo, qui in anguilla cernitur, comparaſſe. Haec omnia demonſtrat V. C. Brückmannus (l. c. p. 142. ſſ.), qui plura alia de eius natalibus, duritie perquam exigua, diſcrepantia a topaſio, variisque affectionibus aliis tradit (l. c. p. 143. ſ. it. App. I. p. 93. ſſ. et II. p. 83. ſ.) quae ad inſtitutum noſtrum non pertinent. Ipſius viriditas diſcrepare ſolet: in aliis eſt color admodum ſatur et auſterus, ideoque minus hilaris et ſcintillans; in aliis dilutior et iucundior. Quorum viriditas adeo diluta et pallida eſt, vt in candorem tranſiens vix animaduerti queat, ii, ſi quidem ſatis mundi beneque politi ſunt, nitendo et ſcintillando itidem quam

proxime

proxime ad adamantas accedunt. Superſunt hodie lapilli ſimiles, artificum priſcorum manu eximie ſcalpti, in dactyliothecis.

A gemma, de qua diximus, quam proxime abeſt *Chryſoberyllus*, re diſcrepans nulla, niſi quod ipſius viriditas nonnihil caerulei flauique admixtum habet, quod oculos ſuauiter afficit. Theophraſtus eius mentionem fecit nullam. Plinius (H. N. l. XXXVII. c. 6. p. 776.) plura de ipſo et ipſius, qua colores, diſcrepantia litteris conſignauit; quae breuiter ſtrictimque perſequitur V. C. Brückmannus (l. c. p. 145.) vna cum reliquis, quae de lapilli patria, natura, proprietatibus, cet. tenenda ſunt. Quem, vt et Hillium (Obſſ. ad Theophr. p. 126. 130. 134. 176.) euoluant, qui haec omnia prorſus perſcrutari cupiunt.

Gemmarios veteres ad ſigilla conficienda, in aliis, *Cryſtallos* ſcalpſiſſe, auctor eſt Theophraſtus (l. c. §. 54. p. 175): itaque nonnihil de eis differendum videtur. Viri, harum rerum intelligentes, Cryſtallum eſſe dicunt *quarzum cryſtalliſatum;* Linnaeus, *Nitrum quarzoſum:* Itali *Criſtallo di Rocca,* vt Francogalli *Criſtal de roche,* ſolent appellare. Eam plenius deſcribit Brückmannus (l. c. cap. 16. p. 147. ſſ.), qui gemmam eſſe ait pellucidam, quae Quarzi natura praedita, et e ſua quaſi matrice defracta niteat, et velvti vitrum ſcintillet, figura hexagona ſit, limae probatioris vim facile ſentiat, in ignem abiecta per ſe non liqueſcat, et chalybi illiſa, ſicut lapilli huius generis omnes, ſcintillas excutiat creberrimas. Quo dicto, deſcriptionem eius Plinianam perſequitur, ex eaque efficit, veteres lapilli huius naturam et proprietates bene exploratas habuiſſe, eum prudenter vſurpare, et varios ad vſus recte aptare potuiſſe: ſuper quo ei adſtipulari video Ian. di Laurent (l. c. §. 40. ſſ.). Tum addit

addit multa, eaque valde exquiſita, de ipſius ortu probabili, ſolo patrio, multiplici, qua defrangitur, figura, variis, quibus hic, illic, inficitur coloribus, et inde factis cognomentis, aliis proprietatibus, et vario vſu, cui bene polita deſtinari ſolet (l. c. it. App. I. p. 96. ſſ; et II. p. 89. ſſ.): ſed haec omnia, vt ad τȣ *Antiqui* rationem et praeſtantiam cognoſcendam parum faciunt, ſiquidem non niſi *Iſidis protomen* ex ea fabricatam nouimus (v. Borioni Collectanea Antiquitatum Rom. tab. II.), ita non temere, me quidem iudice, ſilentio praetermitti poſſunt.

Sunt, praeter gemmas, de quibus adhuc expoſui, aliae, itidem quarzoſae vel ſiliceae, ſed tantum ſemipellucidae, vel prorſus opacae, nec vnquam cryſtallorum natura, figura et proprietatibus praeditae. Harum omnium rationem breuiter ſtrictimque exponit Brückmannus Celeberr. (l. c. p. 180. ſſ.): qui ſingulas poſthac recenſet. De his igitur etiam paucis diſſeramus. Ac primum quidem in eis locum tenet *Praſius*, ſeu *gemma praſina;* quem lapillum Itali vulgo *Prasma*, et *Plasma* nuncupare ſolent. Quae, praeter Theophraſtum et Plinium, Leſſingius de eo ſcripſit, dux noſter prudentiſſimus (l. c. p. 182.) attulit. Eſt autem viriditate diluta et fere candeſcente, quam ex admixtis cupri, ferriue particulis habere, idem ille contendit, qui plura etiam de eius duritie, natalibus, affectionibus aliis tradit (l. c. p. 183. ſſ. it. Append. I. p. 129. ſſ; et II. p. 89. ſſ.). Superant in dactyliothecis complures, a priscis artificibus ſcalpti.

Antegreſſo prorſus ſimilis, quin ſimillimus eſt *Chryſopraſus*, ſeu *Chryſopratius*, niſi quod eſt flauedine plus, minus, hilari et iucunda; vel, Solino auctore, ex auro et porraceo mixtam lucem trahit,

 ſimul-

ſimulque rarior et pretioſior. De eo nihil habet Theophraſtus; pauca Plinius (l. c. l. XXXVII. c. 5. p. 776.), quae V. C. Brückmannus vna cum aliis memorat, qui ſimul obſeruat, veteres lapillorum complurium genera aut temere permutaſſe, aut ea habuiſſe, quae a noſtris hodie plus, minus, differant (v. l. c. p. 187. it. App. I. ſp. 129. ſſ; et II. p. 89. ſſ.).

Eſt etiam lapillus, quem *Smaragdopraſum*, vel *Smaraldopraſium* vocant, et qui a duobus antegreſſis non discrepat, niſi colore, qui gramineus et Smaragdo ſimilis eſt, atque raritate. Hunc priſci ſcriptores aut prorſus ignoraſſe, aut alio nomine ornaſſe videntur. Plura de eo diſputare non eſt neceſſe (v. Brückmann. ll. cc.).

Contemplandus iam eſt *Chalcedonius*, quem ex *Chalcedone*, ſatis celebri Bithyniae oppido, nomen traxiſſe opinantur, auctore Plinio (l. c. l. XXXVII. c. 5. p. 775. conf. Ian. di Laurent l. c. §. 49. p. 48. s.), qui eum deſcribit, vt lapillum ſemper vilem, minimum, fragilem, coloris incerti, et virentium in caudis pauonum columbarumque collo, plumarum ſimilem, et quem ſe neſcire ait, an aetate ſua in totum exoleuerit, poſtquam metalla aeris ibi defeciſſent. Alii ſcriptores eum vocant *Caſſidoniam* ſ. *Caſſidonium*, vnde Franco-gallorum *Caſſidoine* manauit: aliis tandem, ac verius quidem, *onyx candidus* ſiue *pellucidus* audit, iudice V. C. Brückmanno (l. c. p. 190), qui eum ait, a veteribus in onychum claſſe deſcriptum eſſe. Is, eodem auctore, eſt lapillus colore plerumque griſeo, ſeu cinereo candeſcente, ſed aliorum etiam, eorumdemque tantummodo reflexorum haud raro particeps, ſemipellucidus, paullulum opacus, et quaſi nubecula quadam penetratus, ad quarzi, vel ſilicis, naturam propius accedens, et qui tam ex venis

venis et ſtratis defrangitur, quam veluti ſilex reperitur. Qua deſcriptione allata, Plinii ſententiam vno tangit verbo, et plura de eius formatione et natura, patria, duritie, aliis, differit. Praeter colorem, quem paullo ante diximus, alius alio veluti tinctus eſt: vt is, qui *Iris chalcedonia* vocatur, cuius color cinereus in caeruleum tranſit, et qui bene politus nonnihil ſubcaerulei, ſubflaui et violacei habere videtur, vnde id cognominis traxit. Eum, priſcis artificibus ſaepenumero ſcalptum, ſine iuſta cauſſa, *Amethyſtum* appellant varii viri docti, τȣ *Antiqui* amantes. Alius eſt ſubrufus, cuius rubor in alio, purpurae; in alio, ſardae, ſimilis eſt: alius ſubuiridis, ſed qui raro inuenitur, et ad Praſiorum claſſem pertinet: alius ſubfuruus, admodum frequens, ſed nullius fere pretii: alius denique colore lacteo diluto, itidem frequentior. Inueniunt praeterea lapillos, in quibus *Chalcedonius* cum *Onyche* quaſi concretus eſt, quos hodie *Chalcedonyches* vocant: eodem modo *Amethyſtum* cum *Chalcedonio* ſociatum offendis. Ex huiusmodi Chalcedoniis grandiuſculis, praeter lapillos annulares tam ſcalptos, quam caelatos, conficiunt artifices hodie vaſa, ornamenta diuerſa, alia.

In gemmis, quos priſci artifices in primis ſcalpere, et annulis ſignatoriis includere ſolebant, locum non poſtremum habuit *Sarda*, quam hodie *Carneolum*, *Carniolum*, vocant mangones gemmarii. Theophraſtus (l. c. §. 17. coll. Hill. Obſſ. p. 53. it. §. 43. coll. Hill. ib. p. 124. ſſ.) et Plinius (H. N. l. XXXVII. c. 7. p. 780. ſ. conf. Iannon di Laurent l. c. p. 49. ſ.) varia de ea tradunt, a V. C. Brückmanno transſcripta, quae, cui libet, cum huius commentario (l. c. p. 199. ſs.) comparare poteſt. Hoc auctore, eſt lapillus ruber, isque ſemipellucidus, qui defractus, eſſe ſolet angula-

 tus

tus et marginatus, qua vnam quasi frontem cauatus, qua alteram fere conuexus, ac qui non tantum cum aliis sui generis lapillis in cauis et stratis, calculorum et frustorum deformium more, sed etiam vt silex reperitur. Is, si superincreuit onyx, *Sardonychi* (v. Iannon di Laurent, l. c. p. 50. ff.), sin achates, *Sardachatae* nomen adipiscitur. Interim perquam raro accidit, vt Sardae, eiusdemque vno tantum et purissimo colore, fragmina tanta, quanta Chalcedonii, offendas: ceterum eadem, qua hic, duritie est; quin ea, quam oriens profert, nonnihil durior esse, ideoque bene polita vehementius scintillare videtur. Quare non magnopere fallaris, si *Sardam* pro Chalcedonio rubricato habendam contendas. Quibus dictis, plura exponit eruditissimus viae dux de gemmae huius patria, natura, proprietatibus per pericula chemica exploratis, itemque de coloribus aliis, quibus nonnunquam tincta est. Vnde viri, harum rerum intelligentes, in eius diuisione dicunt, aliam esse colore *rubro diluto* vel *russeo;* aliam *subflauo*, vel *rubro in flauum vergente*, quarum neutra in honore et pretio est; aliam *purpureo;* quae bene polita, annulique palae ingeniose inclusa, saepe cum perpulcro et eximio quodam granato Bohemico de praestantia contendere possit; aliam *spadiceo*, quae bene, vt par est, pura et pellucida, non raro perpulcra et probata sit; alia *mixto*, in quo non solum rubor diuersus, sed etiam variorum colorum maculae, lineae, puncta, cet. appareant. Est denique, multorum e sententia, etiam *Sarda flaui coloris;* quam, a quibusdam pro veterum *Lyncurio* habitam, rectius ac verius *Chalcedonio flauo* adnumerabis: etiamsi gemmarii et mangones sint, qui ipsam *Carneoberyllum*, item *Beryllum*, iure prorsus nullo, appellent. Hunc lapillum antiquitus non minus, quam hodie solet, scalptum esse, testantur dactyliothecarum indices.

Qua

Qua re veterum, a recentiorum, ſententia de *Onychum* natura et proprietatibus diſſentiat, paucis expoſuit V. C. Brückmannus (l. c. cap. 24. p. 208. ſs.), qui ſimul animaduertit, ex Graeco, ὄνυξ, natum eſſe Latinum, *onyx*, poſt *onychium*, et tum corrupte, *Nicolas:* vnde vulgaris Italorum denominatio, *Niccolo*, manauit. Quo facto, expoſitaque Theophraſti et Plinii tam de hoc lapillo, quam de marmore, *onychite*, *onyche* ſeu *Alabaſtrite* ſententia, paucis tangit originem valde dubiam vocabuli *Camaeus*, (Italice, *Cameo*, Gallice, *Camée*), quo interdum *onyches* in vniuerſum omnes, aetate noſtra non niſi lapillos caelo ſcalptos nuncupare ſolent Itali et Francogalli; item reliqua, quae Plinius, Zenothemis, Sotacus, Satyrus de eo, et in primis de *Sardonyche*, Romanis quondam cariſſimo, ſcripſerunt. Cuius rei documento vel id eſſe poteſt, quod de Polycratis, tyranni, Sardonyche litteris mandauit Plinius (H. N. l. XXXVII. c. 1. p. 764. ſ.). Quin ex eis luculenter apparet, priſcos et *onycha* et *Sardonycha* depinxiſſe vt lapillos, quos diuerſorum colorum annuli vel zonae quaſi ambirent, aut eiusmodi ſtrata, altera ſuper alteris compacta et concreta efficerent: contra vero glaucum illum nubilumque lapillum, quem mangones recentiores *Chalcedonium* vocare malunt, a priſcis in *onychum* claſſem adſcriptum eſſe (v. Iannon di Laurent, l. c. p. 55. ſſ.): qui quidem easdem, quas Chalcedonii, proprietates, vt, duritiem, nitorem, cet. eandem patriam, easdem origines, tam in cauis et cuniculis, quam in ſtratis, habent, ita vt veluti ſilices non minus, quam fragmina deformia inueniantur. Diuerſitas lapidum cum *onyche* concretorum cauſſa eſt, cur, praeter *Sardonychum* (qui ſi puris et aequabilibus vtriusque ſtratis conſtat, omnium rariſſimus atque probatiſſimus eſt) *Chalcedonychem*, *Iaſpo-*

nychem, et *Achatonychem* mangones et gemmarii venditare soleant. In quibus scalpendis, et caelandis potissimum, quam ingeniose artifices prisci versati sint, hodieque versentur prudentiores, exposuit Brückmannus (l. c. p. 215.). Eiusmodi gemmas ingeniose et affabre scalptas, vel caelatas, hodieque superesse in virorum principum dactyliothecis, demonstrant libri de eis scripti et diuulgati.

Venimus iam ad *Achaten*, lapillum, quem ex Siciliae fluuio, Achate, nomen traxisse scribit Theophrastus et Plinius: quorum ille nihil fere, praeterquam hoc, esse scilicet lapillum pulcrum et venustum, qui magno pretio vendatur, de eo memorat (l. c. §. 58. p. 187. coll. Hill. Obss. ib.); hic vero eius solum patrium, genera longe diuersa, virtutes ac vires varias, veras, fabulosas, alia, copiosius persequitur (H. N. l. XXXVII. c. 10. p. 786. ss.), quae paucis repetiit V. C. Brückmannus (l. c. c. 25. p. 219. ss. conf. Iannon di Laurent l. c. p. 43.). Idem deinceps de illius natalibus, origine, natura, gemmarum aliarum particulis ipsi admixtis, et ipsum veluti efficientibus, proprietatibus, agit ita, vt lector, rerum fossilium studiosus, accuratam notitiam inde haurire possit; is vero, qui non nisi τȣ *Antiqui* naturam perscrutari vult, ea si non omnia, certe quidem pleraque, ignorare queat. Vnde hoc vnum animaduertere placet, ipsum eadem, qua onyx, duritie, fundo, vt ita dicam, coloris plerumque cano et corneo esse, eoque discrepare, quod variorum colorum maculae confuse et vndatim, tanquam vmbrae et nubeculae, ipsum permeent, nonnunquam naturae lusus valde lepidos et gratiosos, vt, arbusculorum, fruticum, plantarum, nubium, fluminum, siluarum, quin animalium species reddentes. Qualis haud dubie

fuit

fuit *Achates Pyrrhi*, in quo Apollinem vna cum novem Musis videre sibi videbantur (Plin. l. c. c. 1. p. 764. coll. Brückmann. l. c. p. 234.). Eum a priscis scalptoribus saepissime vsurpatum esse ad ingenii manusque dexteritatem significandam, gemmae in dactyliothecarum indicibus recensitae demonstrant.

Supersunt lapilli; qui ad Onychum vel Achatarum genera iure quodam suo quidem pertinent, sed quibus gemmarii et mangones peculiare imponunt nomen, ductum ex eorum, in rotunditatem globatorum ac bene politorum similitudine cum variorum animantium oculis; quosque adeo leucophthalmos, Lycophthalmos, cet. appellant. In aliis eminet, quem Itali *Bell' occhio*, i. e. *bellum oculum*, dicunt; Plinius *Beli oculum* dixit (H. N. l. XXXVII. c. 10. p. 738): quo auctore, iste albicans pupillam cingit nigram, e medio aureo fulgore lucentem. Sed cum huius, et similium lapillorum (quos Italico vocabulo *Occhi de' gatti*, i. e. *felium oculos* nuncupare suerunt) venustatem atque praestantiam omnem efficiant diversorum colorum circuli seu annuli, medium orbiculum cingentes, qui per scalprum caelumue nonnihil detrimenti cepissent; eos scalpere recte dubitarunt prisci artifices, ideoque τȣ *Antiqui* copias augere nequeunt eiusmodi lapilli, etiamsi sua se specie et gratia valde commendent. Satis igitur de iis dictum opinor.

Iaspidem nunc considerare placet, quem lapillum Wallerius *Petrosilicem iaspidem*, Itali *Diaspro*, et Galli *Jade*, vulgo vocare solent. Brückmannus V. C. quem ducem sequimur, allatis, quae Theophrastus (l. c. §. 43. coll. Hill. Obss. p. 126. s.) et Plinius (l. XXXVII. c. 8. p. 782.) de ea perhibent, multo plura de ipsius solo patrio, diuersis pro colorum diuersitate generibus, lapidibus per aliarum particularum admixtio-

nem inde ortis, horumque nominibus differit, quae omnia aliis in scholis explicanda sunt. Nos pauca inde delibata hic affundimus. *Iaspis*, et ea quidem orientalis ac praestantissima, viret ita, vt maculae venaeque sanguineae hic, illic, eam quasi permeent: quam, sic comparatam, credibile est, Plinii *heliotropium* esse, i. e. porracei coloris, sanguineis venis distinctam (l. c. p. 790. ff. conf. Iannon di Laurent l. c. p. 43. ss.). Sed reperiuntur, praeter hanc, genera alia, tot fere coloribus, quot natura monstrat, maculosa et veluti adspersa vel penetrata. Hinc nascitur Iaspis lactea, ferrea, rubescens, flaua seu cerea, spadicea, caerulea, quam Plinius *Boream* vel *Aerizusam* dixit, atra, item variegata, capnias, onychipuncta, iasponyx, cet. Earum multas quidem, sed non nisi vnius, summum, duplicis coloris, scalpserunt prisci artifices, recte prudenterque perspicientes, colorum diuersorum maculas dedecori futuras figurae, in simili lapillo scalptae.

Ex iis, quae de *Opali* natura, generibus, proprietatibus, virtutibus ac vitiis, solo patrio memorauit Plinius (l. XXXVII. c. 6. p. 777. ff.), efficit cogitque V. C. Brückmannus (l. c. c. 34. p. 292), *Opalum* priscis cognitum et nominatum, lapillum esse eundem, quem hodieque mangones et gemmarii eodem nomine indicant, illumque olim magno in honore ac pretio fuisse. Is ab Italis *Girasole*, Germanis compluribus *Weese*, et forsan rectius *Waysse*, vocari suetus, ducis, quem sequor, iudicio quam proxime accedit ad vitri naturam, etiamsi alii aliter statuant. Quibus, quoniam ad institutum nostrum non pertinent, de industria praetermissis, varia tantummodo eius genera, colorum quidem ratione habita, recensebo. Alius est colore *candido*, vel potius *lacteo*, qui, luci aduersus positus, plus, minus translucet, ac nonnihil ex caeru-

caeruleo, aureo, viridi et purpureo adſciſcere videtur: alius *atro*, qui ex flauo et violaceo quaſi prodit: alius *ſubflauo:* alius *cyaneo*, in flauum vel violaceum transeunte: alius *cinereo* ſeu *cano*, adeoque Chalcedonio perquam ſimilis. Eodem teſte, priſci artifices opalum nullum, certe quidem optimum quemque non ſcalpſerunt.

Coloris caerulei ſeu *cyanei* lapillum, quem mangones et gemmarii cum maxime *lapidem Lazuli* appellant, ſcriptores priſci *Sapphirum* vel *Cyanum* vocaſſe videntur V. C. Brückmanno (l. c. c. 35), qui Theophraſti (l. c. §. 43. p. 124. coll. Hill. Obſ. p. 128. ſs.) et Plinii (l. XXXVII. c. 9. p. 783.) deſcriptiones examinat obſeruatque, quo quaſi ſigno Cyanum a Sapphiro ſecreuerint. Hoc non minus, quam quae de eius patria, natura, proprietatibus, per experimenta chemica exploratis dicuntur, vtpote ab inſtituto noſtro aliena, praetermittimus. Eius generis complures ſuperſunt quidem, ſed minus ingenioſe affabreque elaborati: vnde credibile ſit, eos non tam artificum vetuſtatis excellentiorum, quam rudi manu vel tironum, vel eorum ſcalptos eſſe, qui barbaris, quae dicuntur, ſaeculis, lapidibus ſcalpendis neceſſaria vitae praeſidia quaerere ſolebant.

Huic non multum praeſtat lapillus ille *caeruleus*, quem vulgo *Armenium* vocant; vti et *Malachites* ſeu *Molochites*. De vtroque V. C. Brückmannus et ea, quae Theophraſtus (l. c. §. 70. p. 221. coll. Hill. Obſſ.) et Plinius (l. c. c. 8. p. 782.) habent, et quae chemici recentiores periclitando didicerunt, adeoque ad vtriusque naturam, rationes et proprietates videndas pertinent, docte expoſuit (l. c. c. 36. 37. p. 316. ſs. it. App. I. p. 244; et II. p. 241. ſſ.): cuius commentarium euoluat lector, harum rerum amans.

Mangones et gemmarii vulgo iactitant *Turcoidem*, seu *Turchinam*, veluti lapillum nobiliorem, et Plinius eum *Callaida* vocauit, descripsitque (l. c. l. XXXVII. c. 8. p. 781. conf. Iannon di Laurent l. c. p. 60. ss.) velut lapidem, e viridi pallentem; et alio loco (ib. p. 788.) tanquam eum, qui Sapphirum imitetur, sed candidior sit, et litoroso mari similis. Brückmannus inclytus (l. c. cap. 39. p. 329. ss.) plura ex Theophrasto et Plinio adfert, docetque simul, hodie prorsus liquere, quod sic appelletur, non esse verum lapillum, sed non nisi animalis cuiuspiam, et quidem haud dubie piscis ossiculum, vel dentem; *Turcoidae* vero, seu *Turchinae* nomen ei datum esse propterea, quod merx similis primum e Turcarum prouinciis in reliquas Europae prouincias deuecta sit. Plura de huius gemmae, perperam ita vocatae, natura, colorum origine, mutationibus per ignem exploratis, proprietatibus aliis, in commentario, quem saepe iam diximus, Brückmanniano legenda exstant. Nos haec recte praetermittimus, quoniam antiquitatis artifices hanc quasi-gemmam aut scalpsisse, aut caelasse, plane non verisimile est: et, si qua seu scalpta, seu caelata, hodie in dactyliothecis exstet, ea non nisi a manu recentiori fabricata videtur.

Superioribus gemmis, plerisque vere talibus, addidit ERNESTIVS ὁ πάνυ, quas pro veris et probatis habere non licet, quasque a priscis artificibus, ingenio et manu satis exercitata firmaque claris, vnquam scalptas esse, recte dubitant. Et quamquam eas ad ornatum tam hominum, feminarum maxime, quam aliarum rerum, adhibitas esse constat; tamen res, ex iis confectae, ad τοῦ *Antiqui*, vere talis, genus referri nequeunt, ideoque indignae sunt, de quibus copiose agamus. Igitur de hoc loco satis disputatum opinor.

EX-

EXCVRSVS VI

AD PART. I. CAP. III

DE METALLIS.

Quandoquidem quod de metallis, vti de marmoribus et gemmis, in vniuerſum dicam, non habeo, de eorum vno et altero nonnihil diſputare placet, ratione quidem, vt inſtitutum noſtrum poſtulat, operum illorum habita, ad quae ingenioſe affabreque facienda, priſcorum artificum intelligentia et dexteritas ſingularis aptauit. Omnium primi ac principis metalli, *auri*, vſum in conficiendis rebus variis, immortalis ERNESTI breuiter ſtrictimque indicauit. Hunc cur copioſius enarrem, cauſſam video nullam. Igitur tria tantummodo, quae ad eum pertinent, pauciſſimis tangam, neglectis aliis, quae expoſita libellum iuſto plus augerent. Ac primum quidem integra Deorum Dearumque ſigna ex pretioſiſſimo hoc metallo facta accepimus, antequam ſerior Imperatorum Rom. ambitio, quod E. immortalis alio loco (Part. II. c. 5. §. 11.) contendit, auri argentique vſum in ſtatuis ſibi collocandis, imperaret (Sueton. in Domit. c. 13). Qualis fuit *ſtatua aurea*, in templo Anaitidis poſita: quam Plinius (H. N. l. XXXIII. ſect. 24. p. 619. coll. l. V. ſect. 20. p. 267.) item Strabo (Geograph. l. XI. p. 532.) ait primam omnium nulla inanitate, adeoque ὁλοσφύρατον, vel, interprete Heſychio, στερεὸν ναστὸν, καὶ οὐδαμοῦ διάκενον, fuiſſe. Et hanc quidem M. Antonius, in expeditione Parthica, inde abſtuliſſe dicitur ab eodem Plinio (l. c. p. 619). Tum *Bendis*, *Anubis*, *Attidis* et *Mithrae* ſimulacra, quae Lucianus,

ſi huic fides habenda eſt, vt ὅλους ὁλοχρύσους καὶ βαρεῖς, καὶ πολυτιμήτους deſcribit (v. Iup. Tragoed. T. III. p. m. 420). Aureum itidem fuit ſignum *Matris Dindymenae*, teſte Pauſania (Arcad. ſ. l. VIII. c. 44. p. 694.) vti et *Apollinis*, eodem auctore (Phoc. ſ. l. X. c. 24. p. 858): qui praeterea mentionem iniicit duorum Tritonum, ex auro ad pubem vsque factorum, ceterum eburneorum (Corinth. ſ. l. II. c. 1. p. 113). Quid? quod Rhodios *ſedecim Deos aureos* formaſſe memorat Lucianus (l. c. p. 422). Praeter Deos illos ficticios, mortales quoque nonnunquam ſtatuis prorſus aureis mactatos eſſe conſtat. Vt, de Gorgia Leontino, rhetore longe celeberrimo, tradit Plinius (H. N. l. XXXIII. ſect. 24. p. 619.), ipſum omnium hominum primum, et auream ſtatuam, et ſolidam, Delphis in templo ſibi poſuiſſe: cui tamen aduerſatur Cicero (de Orat. l. III. c. 32.) et Valerius Max. (l. VIII. c. vlt.) eo, quod vterque eam, non tam a ſemet ipſo, quam ab vniuerſa Graecia, iſthoc in templo collocatam perhibeant; nec minus Pauſanias, qui rhetoris, de qua quaeritur, ſtatuam non niſi inauratam eſſe confirmat (Phoc. ſ. l. X. c. 18. extr. p. 842). Tum viri, hiſtoriae Rom. ſatis periti, non ignorant, in Romanorum complurium honorem ſtatuas aureas paratas eſſe, et dedicatas. Vt, Bocchus, quum, Iugurtha tradito, Populi R. ſocius declaratus eſſet, Syllae vt gratificaretur, non ſolum ἀνέθηκεν εἰκόνας ἐν Καπιτωλίῳ τροπαιοφόρους, ſed etiam, vna cum illis, χρυσοῦν Ἰουγούρθαν ὑφ᾽ αὐτοῦ Σύλλᾳ παραδιδόμενον (Plutarch. in Sylla, p. m. 155. b.) vel quod idem loco alio (in Mario, p. m. 145. a.) memorat, Βόκχος ὁ Νομὰς, σύμμαχος Ῥωμαίων ἀναγεγραμμένος, ἔστησεν ἐν Καπιτωλίῳ νίκας τροπαιοφόρους, καὶ παρ᾽ αὐτοῖς ἐν εἰκόσι χρυσαῖς Ἰουγούρθαν ἐγχειριζόμενον ὑπ᾽ αὐτοῦ Σύλλᾳ. Quin Syllae ipſius

ipsius statuam, *solido auro*, cum titulo: CORNELIO SYLLAE. FORTVNATO. IMPERATORI Romae exstitisse, Asconius Paedianus aliquo loco memorauit: cui tamen aduersari videtur Appianus, qui, narrato, omnia Syllae acta, rata ex SCto habita esse, addit, εἰκόνα τε αὐτῷ ἐπίχρυσον ἐπὶ ἵππῳ πρὸ τῶν ἐμβόλων ἀνέθεσαν, καὶ ὑπέγραψαν ΚΟΡΝΗΛΙΟΥ ΣΥΛΛΑ ΗΓΕΜΟΝΟΣ ΕΥΤΥΧΟΥΣ (de Bell. Ciu. l. I. sect. 97. p. 136. Vol. 2. ed. Schweighaeuser.). Dubium igitur est, Syllae statua, eaque equestris, solidone auro fuerit, an solummodo aurata. Similem Octauiano etiam decreuisse Senatum R. idem testatur (l. c. l. III. sect. 51. p. 466.) quam credibile est, posthac auro solido factam esse. Praeterea Augusti statua aurea, triumphali quidem habitu, quo vrbem erat ingressus (ἐπινίκιος ἐν ἀγορᾷ χρύσεος — — μετὰ σχήματος οὗπερ ἔχων εἰσῆλθε) in foro R. collocata stetit, teste eodem Appiano (l. c. l. V. sect. 130. p. 879). Similem eius si non statuam, ἄγαλμα, certe quidem protomen, εἰκόνα, in Curia (βουλευτηρίῳ) positam fuisse, ex eo palam fit, quod haec ipsa, ἑτέρα δὲ ἐκ τοῦ βουλευτηρίου χρυσῆ, media inter duas alias, ipsius in pompa funebri portabatur (Dio Cass. l. LVI. p. m. 591): quin Romae, dum eius templum aedificabatur, hanc εἰκόνα χρυσῆν in lecto, Martis quidem in aede (Dio Cass. ib. p. 600.) collocandam, et omni cultu eo, quo posthac ipsius simulacrum, afficiendam decreuit Senatus, Tiberio auctore et suasore. Tandem statuas etiam minutas, siue sigilla, auro solido, eodemque purissimo, formarunt artifices prisci: cuiusmodi Genium, serto e floribus facto redimitum, videre mihi nuperrime contigit, quem Generosissimus de Schellersheim, intelligentissimus rerum omnium, antiquitus affabre non minus, quam ingeniose factarum, amator, ex Italia redux,

redux, in *κειμηλίοις* aliis, fecum attulerat, mihique amiciffimus, quod gratus praedico, monftrare haud dedignabatur.

At enim vero prifci artifices eximios ingenii intelligentiaeque fuae labores et artificia non tantum ex metallo, de quo quaeritur, primo ac principe fabricarunt, fed complures etiam, alia ex materia, vt, aere, ebore, marmore, ligno paratos, aureis lamellis obduxere, fiue inaurauere. Quod, vti Lucianum, *εἴρωνα* ingeniofiffimum, iam exagitaffe reperimus (v. Iup. Tragoed. p. 420. T. III. opp.), qui Deos, artificum Graecorum manu formatos, effe ait *χαριέντας μὲν καὶ εὐπροσώπους, καὶ κατὰ τέχνην ἐσχηματισμένους· λιθίνους δὲ, ἢ χαλκοῦς ὅμως ἅπαντας· ἢ τούςγε πολυτελεστάτους αὐτῶν ἐλεφαντίνους, ὀλίγον ὅσον τοῦ χρυσοῦ ἐπιστίλβον ἔχοντας, ὡς ἐπικεχρῶσθαι καὶ ἐπιγᾶσθαι μόνον, τὰ δὲ ἔνδον ὑποξύλους, κ. τ. λ.* ita variis in operibus antiquis, adhuc fuperftitibus, hodieque animaduerti, et difcerni poffe teftantur viri, quibus contigit, vt ea curiofius explorare poffent (v. Winkelmann. Hift. Art. p. 207. ed. Dresd. et p. 428. Vienn.). His operibus adfcribatur, neceffe eft, aurata *Batchi*, e marmore Gr. facti ftatua, in Pompeiorum, oppidi, ruderibus, et in Ifidis quidem aede reperta, de qua loco alio verba feci (Comment. de Pompeiis, p. 127. et 167). Verum vt ne leuiffimum quidem huius rationis cum maxime cernatur veftigium; eam tamen tot fcriptorum veterum auctoritates confirmant, ita vt, qui addubitare poffis, non videam. Vnus Paufanias memorat fimilia monimenta non pauca: vt, *Bacchi*, feu *Liberi Patris*, figna duo lignea aurata (Corinth. f. l. II. c. 2. p. 115); *Dianae*, (l. c. c. 9. p. 133); *Apollinis* buxeum, capite tantum auro illito (Eliac. poft.

poſt. ſ. l. VI. c. 19. p. 499); aliud eiusdem (Arcad. ſ. l. VIII. c. 53. p. 708); *Mineruae Areae*, itidem ligneum, Phidiae opus (Boeot. ſ. l. VIIII. c. 4. p. 718); eiusdem aliud (Phoc. ſ. l. X. c. 15. p. 833); item *Phrynes* effigiem auratam (l. c.), plures denique huiusmodi ſtatuas (Achaic. ſ. l. VII. p. 574.) quas ſigillatim recenſere non opus eſſe opinor. Praeter maiora haec opera, ſcriptor idem commemorat auratos currus (l. c. p. 116), capram, (p. 141.) aquilas (p. 679): alii monimenta alia. Qui mos auratas Deorum hominumque ſtatuas dedicandi, ad Romanos quoque tranſiit: ſiquidem L. Stertinium, in porticu ad Fortunae et Matutae aedem, ſigna aurata poſuiſſe, memoriae prodidit Liuius (H. R. l. XXXIII. c. 27); atque aliquamdiu poſt, M' Acilium Glabrionem, patris in honorem, ſtatuam auratam in Pietatis aede collocandam curaſſe (l. XXXX. c. 34. coll. Val. Max. l. II. c. 5).

De victimarum cornua aurandi caerimonia, vel pueris notiſſima, copioſe vt diſſeram, nemo, reor, opus eſſe iudicabit. Ipſum opera qualiacunque auro linendi negotium qua ratione antiquitus peractum ſit, coniectura veriſimillima ductus, expoſuit Winkelmannus (l. c. p. 260. Dresd. et p. 534. ſſ. Vienn. ed.). Id tamen Homeri tempore, quo aurum haud dubie nondum ita, vt noſtro fieri ſolet, malleando tenuare aut poterant, aut volebant, via et ratione longe alia exſequutos eſſe reperimus. Vates enim, quem dixi, Neſtoris ſacrificium, et ritus tum alios, tum victimae cornua aurandi, ea opportunitate obſeruatos, deſcripturus (Odyſſ. l. III. v. 432. ſſ.), χρυσοχόον, aurificem, ait, cum variis inſtrumentis apparatuque neceſſario accerſitum eſſe, eoque dicto, ſic pergit:

— — — — ἦλθε δὲ χαλκεύς,
Ὅπλ' ἐν χερσὶν ἔχων χαλκήϊα, πείρατα τέχνης,

Ακμονά τὲ, σφύραν τ', ἐϋποίητόν τε πυράγρην,
Οισίν τε χρυσὸν εἰργάζετο· — — Νέςωρ
Χρυσὸν ἔδωχ'· ὁ δ' ἔπειτα βοὸς κέρασιν περι-
χεῦεν, κ. τ. λ.

i. e. aduenit faber, arma fabrilia, officinae ſuae inſtrumenta, manibus geſtans, incudem, et malleum, et forcipem affabre factam, quibus aurum aptabat conſilio deſtinato — — Neſtor ſuppeditauit aurum, quod ille bouis cornibus circumfudit. Qui apparatus omnis, me quidem iudice, non fuiſſet neceſſarius, ſi iam tum lamellas auri tenuiſſimas, quales nos hodie, habuiſſent. Hic Graecorum mos victimarum cornua auro ornandi, deinde ad Romanos, vt inter omnes conſtat, tranſiit: quod quum e ſexcentis poetarum Lat. locis palam fit, tum ex hoc Liuii (H. R. l. XXV. c. 12.) et Macrobii (Saturnal. l. I. c. 17.) teſtimonio: *decemque viris* (per SCtum poſt conſultationem conditum) *praeceptum eſt, vt Graeco ritu hisce hoſtiis ſacrum facerent, Apollini boue aurato, et capris duabus albis auratis; Latonae boue femina aurata* cet. In quo vſurpando num Romani eundem, quem Graeci vetuſtiſſimi, apparatum, ſcil. incudes, malleos, forcipes cet. adhibuerint? nec ne? nullibi relatum legi. Interim perquam credibile eſt, Graecos rerum uſu condocefactos, ſenſim peruidiſſe, aurum diu multumque malleatum, in lamellas tenuiſſimas ſubtiliſſimasque velut diduci, hisque victimarum cornua celerius et facilius illini poſſe. Quo non mature animaduerſo, qui ſtatuas marmoreas, aereas, eburneas, ligneas, opera alia, aurare potuiſſent? Quod ſi viderunt, et huiusmodi lamellas ad hoſtiarum cornua non minus, quam ad opera alia, auro obducenda adhibuere Graeci; haec ratio, facillima ſane ac commodiſſima, haud dubie Romanis, Diis quibusdam Graeco ritu ſacrum facere iuſſis, ſimul eſt tradita, vt adeo apparatu, Home-

Homericis temporibus neceſſario, in hoc negotio exſequendo, haudquaquam indigerent.

Tandem priſci artifices, Graeci potiſſimum, in Deûm ſimulacris aliisque vaſis conficiendis, aurum ita vſurparunt, vt illorum veſtimenta, horum ornamenta, ex auro fabricata, adderent. Quum enim populi illi, quos Graeci barbaros appellare fuerant, Deos ſuos auro ſolido fabricatos voluiſſent, quos propterea *βαρβαρικοὺς* appellat, et in concione, quam lepide fingit, *προεδρεύσειν* contendit Lucianus (l. c. p. 419): Graeci contra, eodem irriſore ingenioſo et vaferrimo teſte, ipſos venuſtate quidem et gratia plenos, vultu item honeſto et liberali, et, qua artificii praeſtantiam, probe cultos et perpolitos, ſed non niſi lapideos, aut aeneos, ſummum, eburneos et intus ſubligneos fabricarunt, ita quidem, vt modicum ab auro, quo illiti et aurati erant, retinerent ſplendorem. Quod demonſtrant duo Graecorum ſimulacra longe laudatiſſima, Iouis Olympii et Mineruae Athenienſis, Phidiae opera praeſtantiſſima ex ebore et auro facta, (Plin. H. N. l. XXXVI. c. 5. p. m. 725). Quamquam vero bina haec ſigna fere ſola omnium in ore ſunt, Graeca tamen oppida, non pauca, ſimilia, eis fortaſſe, ſi artem et praeſtantiam ſpectes, nonnihil inferiora habuere: vt, ſignum *Bacchi*, ſiue *Liberi Patris* (v. Pauſan. in Corinth. ſ. l. II. c. 7. p. 127); *Aesculapii*, eiusdemque imberbis (id. ib. c. 10. p. 134) opus Calamidis; aliud *eiusdem Dei* (id. ib. c. 27. p. 172.) Thraſymedis opus; *Veneris*, ſedentis habitu (id. ib. p. 134.) opus Canachi Sicyonii; *Iunonis*, in ſolio ſedentis, eximia magnitudine ſignum (id. ibid. c. 17. p. 148) Polycleti opus; *Hebes*, (id. ib.) Naucydis arte factum; *Dianae Laphriae* (id. in Ach. ſ. l. VII. c. 18. p. 569), cuius opifices Menaechmus et Soidas fuerant; *Mineruae* (id. ib. p. 575); *eiusdem Deae* apud Pellenenſes (id.

 ib.

ib. p. 594). Complura alia, eademque singula ex auro et ebore facta, recenset Pausanias (Eliac. pr. s. l. V. c. 16. s.), quae sigillatim nominare nolumus; quoniam ex his iam satis apparet, Graecos artifices ad Deorum Dearumque signa fabricanda quam saepissime aurum et ebur adhibuisse. Quo in negotio adgrediendo perficiendoque, qui versati sint, effici cogique potest ex Luciani verbis, quae supra transscripsimus; plenius docuit Heynius illustris (v. eius Antiquarische Aufsätze, Th. II. n. 5. p. 149. ss.), cuius commentationem lector quisque, res similes discendi cupidus, adeat, oportet. Quin signa integra ex ebore solo fabricata accepimus: quale fuit, apud Cyzicenos *Iouis*, quem Apollo marmoreus coronabat (v. Plin. H. N. l. XXXVI. c. 15. p. 741), ac *Dei eiusdem*, Pasitelis opus, quod Romae dedicatum erat in aede Metelli Macedonici (Plin. ib. c. 5. p. 731); tum *Veneris* signum, idque vetustissimum (Paus. in Attic. s. l. I. c. 43. p. 105); item *Mineruae Aleae*, opus Endii, totumque ex ebore fabricatum; quod Augustum in fori aditu dedicasse scribit Pausanias (Arcad. s. l. VIII. c. 46. p. 694). Omitto *Iouem Terminalem*, in Catacumbis Rom. vulgo dictis, seu cuniculis et meatibus sub terram actis, repertum (v. Caylus Récueil Tom. III. p. 156); *Puerum*, in collectione Hamiltoniana asservatum; alia minora opera, vt, tesseras, bullas, cet. item anaglypha *), quorum permulta, non minus affabre

*) Memorare hic placet non nisi vnum opus ex ebore caelatum, paucis abhinc annis in agro Cortonensi, vel verius Clusino, effossum; quod, si genuinum est, memoria dignum arbitror. Id est forma et magnitudine fere ea, qua numi maximi, qui dicuntur, moduli esse solent. Cernitur in eo caput barbatum galeaque tectum, cum titulo, a dextra sinistram versus, ac litteris peruetustis scripto, ex quo

LARS

affabre caelata, quam ingeniose cogitata, in medium protulit V. Celeb. Philippus Buonarotti (Osservazioni sopra alcuni frammenti di vetri antichi, pluribus locis), quoniam haec, si quidem velim ac per instituti rationem liceat, opportuniore loco persequi possum. Vnde non nisi vnum hic adhuc tangam. Nimirum non paucos, qui Phidiam et alios Graeciae artifices immortales, Deorum signa ex ebore et auro fabricasse norant, rem demiratos esse, atque opinatos, signorum similium faciem non potuisse non spectantibus iniucundam, molestam et paene fastidiosam videri, eo quod eboris candori flauedo auri dispar et discolor sit, nec satis congruat, adeoque oculos offendat: verbo, materiarum tam dissimilium, tam discolorum coniunctionem prodere saporem, seu gustum (venia sit vocabulis) prorsus deprauatum, minimeque probandum et imitandum. Sed quamquam varia, quae hic respondere possim, habeo: tamen duo tantummodo, non ad viuum resecare, sed attingere paucissimis placet. Ac primum quidem satis inter omnes constat, non omnia omni et populo, et homini, nec omni tempore simul placere, eoque nomine pulcra, venusta, gratiosa videri. Sunt, quae cum maxime iucunda sint plerisque, et tantum non omnes delectent: breui post non item. Id quod in vtensilibus, vestimentis, musicis, institutis publicis, quin disciplinarum placitis, verum esse, testatissimum est. Vnde et prouerbium, communi sermone tritum, *de gustibus dispu-*

LARS PVRSNA efficit, adeoque vultum regis *Porsenae* in eo apparere credit anaglyphi possessor, Ludouicus Coltellinus. Eius picturam linearem vna cum possessoris epistola ad Celeb. Abb. Dominicum Sestinium scripta, promulgauit Guattanius in Notizie sulle Antichità e belle Arti di Roma, per il Febraro dell' anno 1787. p. 10. ss.

disputare vetat. Qui igitur Graeciae populum, omnis vere pulcri, et venusti arbitrum et quasi creatorem, nostra regula et norma, nostroque sensu metiri audeamus? idque in colorum delectu et consociatione, quae natura tam varia, tam mutabilis et inconstans est, vt eorum quidam non nisi singulos dies nobis arrideant, et verissime pariter ac significantissime *Couleurs du jour* a Franco-gallis appellentur. Accedit, quod signorum membris, ex ebore fabricatis et politis, auri appositi radiis maiorem splendorem ac claritatem conciliare, eoque Deûm simulacra augustiora et veneratione maiori digna reddere voluisse videntur. Quod enim opus, aut ornamentum qualecunque, eburneum, aeneum, argenteum, marmoreum, auro vel vndiquaque inclusum, vel hic, illic, quasi illitum opertumue, ex ipsius splendore mutuari crediderint nitorem magis radiantem, intelligi potest ex his Virgilii versibus:

Quale manus addunt ebori decus, aut vbi flauo
Argentum Pariusue lapis circumdatur auro,

(Aen. l. I. v. 593. s. coll. Heynii nott. ad h. l.). Quae si ipsorum fuit opinio, tantum abest, vt hanc rationem, a moribus nostris alienam, vituperare possis, vt potius laudare debeas. Tum eximia et incredibilis Graecorum veterum aduersus Deos pietas et reuerentia multum momenti habuisse videtur ad hanc rationem in ipsorum signis fabricandis vsurpandam. Norant nimirum, plerosque populos barbaros, auro in primis locupletes, aurea Deorum signa habere et venerari. Ipsi, lapidibus truncisque deformibus, quos vt Deos venerati erant maiores, quasi sepositis, quum simulacra venustiora et ingeniosius elaborata, publico omnium cultui et venerationi destinanda censerent; fas et, qua erant, pietas praecipiebant, vt ea ex materiis tam

raris-

rariſſimis, quam cariſſimis, fabricata vellent. In quibus quoniam aurum et ebur rar. te maxime eminebant; Dii cuiusque loci maximi, et quaſi Penates, Praeſidesue, digni ſunt viſi artificibus, quos ex illis ſumma, qua fieri poterat, intelligentia, dexteritate, arte formarent. De auri raritate apud Graecos nemo facile dubitabit: is in-primis omnium minime, qui, quae Phidiae, Mineruae Athenienſis opifici, aliquamdiu poſt, quam fabricata erat, hominum nonnullorum inuidia acciderint, et quam facile calumniatores ſuos refellerit, haud ignorat. Eboris vero in Graecia raritas, et inde pendens caritas, non poterat non permagna eſſe, eo quod elephantes ibi reperiebantur nulli, et horum dentes in regionibus longe remotiſſimis quaerendi erant, emendi et in Graeciam deuehendi. Qua in ſententia Pauſaniam quoque fuiſſe, atque ex eboris vſu, de quo quaeritur, Graecorum pietatem ſtudiumque erga Deos itidem effeciſſe video. Ita enim de iis iudicat (Eliac. pr. ſ. l. V. c. 12. p. 405): *Φιλότιμοι δὲ ἐς τὰ μάλιϛά μοι καὶ ἐς θεῶν τιμὴν, οὐ φειδωλοὶ χρήματων γενέσθαι δοκοῦσιν οἱ Ελληνες, οἷς γε παρὰ Ινδῶν ἤγετο καὶ ἐξ Αιθιοπίας ἔλεφας ἐς ποίησιν ἀγαλμάτων.* Quae quum ita ſint, Graecos hoc nomine adeo non reprehenſos, et ſaporis peruerſi deprauatique accuſatos velim, vt ſumma potius laude digniſſimos exiſtimem. Atque haec quidem de hoc loco, et de metallo omnium primo atque pretioſiſſimo.

EXCVRSVS VII

AD EIVSDEM CAP. IIII. §. 10.

Metallo, de quo ante dictum, adiungere lubet nonnulla de *orichalco*, quod ERNESTI immortalis recte et vere in *natum* et *facticium* dispertitus est. Posterius vt describam, nulla exigit necessitas: de priore contra non possum, quin coniecturam aliquam meam hac opportunitate cum viris eruditis communicem. Huius meminere iam duo antiquissimi, quos quidem habemus, Graecorum poetae, Homerus et Hesiodus, idque non minus, quam aurum, ornatui vario aptatum esse testantur. Atque ille quidem (Hym. II. in Venerem, v. 9.) Horas ait, Deam hancce, e maris spuma egressam, vestimentis alioque mundo induisse, et inter reliqua, suspendisse in perforatis illius auriculis inaures,

ἄνθεμ' ὀρειχάλκȣ Χρυσοῖο τε τιμήεντος·

qui versus etsi metalli, de quo quaeritur, naturam non explicet, argumento tamen est, id auro aequiparatum esse. Hic vero in Herculis πανοπλίᾳ describenda, heroa ait induisse

— — — κνημῖδας ὀρειχάλκοιο φαεινοῦ,
Ηφαίςου κλυτὰ δῶρα — — —

Quae quidem verba metalli, de quo quaeritur, non magis, quam Homerica, naturam illustrant. Eius interea praestantiam ex hoc quodammodo suspicari licet, quod ocreae, ex orichalco paratae, Dei cuiusdam, Vulcani, donum dicuntur eximium. Iam vero Deos non nisi optima et pretiosissima quaeque conficere

et

et largiri ſolere, perſuaſum fuit priſcis hominibus; vti complura ſcriptorum veterum teſtimonia demonſtrant. Tum ſcholiorum auctor, Ioannes Diaconus, id λευκὸν χαλκὸν appellauit; cauſſa tamen, cur ita vocaret, adiecta nulla. Pari fere, quo Hercules, modo Turnus (Virg. Aen. l. XII. v. 87. s.)

— — auro ſqualentem, alboque orichalco
circumdat loricam humeris — — —

Quem locum Scholiaſtae Heſiodei ſententiam de huius metalli colore plane confirmare ſtatues, niſi cum VV. CC. Heynio (in nott. ad h. l.) et Bocharto (Hieroz. P. II. vi. 16.) exiſtimare malis, id per ſe album non fuiſſe, ſed ita dictum auri comparatione. Verum vt e Virgilii dictis nihil certi, qua colorem, effici cogique poſſit: inſigne tamen illius pretium ex eo, quod vna cum auro ad loricae ornatum dicitur vſurpatum, luculenter apparere videtur. Mundus enim, ex orichalco facticio paratus, haud dubie male conueniſſet vere aureo; cui dedecori potius, quam decori fuiſſet. Sed nihil adhuc decerno. Arrianus (Periplo Mar. Erythr. p. m. 45) praeterea orichalcum, ait, in emporium Adulitanum deportari vendendum: emto vti homines ad ornatum, quin etiam in fruſta diſſecto, pro numiſmatibus (καὶ ὀρείχαλκος, ᾧ χρῶνται πρὸς κόσμον, καὶ εἰς συγκοπὴν ἀντὶ νομίσματος). Nummorum autem loco ecquis aut appendere, aut appenſum accipere potuerit, vel voluerit, ſi pretio vel valore interiore prorſus caruiſſet orichalcum, nondum quidem

— — — conciſum in titulos, facieſque minutas,

ſed tamen in fruſta et lamellas, quales Iapanenſes cum maxime vſurpare alio loco demonſtrabimus? Ergo hoc, natura ipſa paratum, facticio cuique multum praeſtiterit, neceſſe eſt. Quo loco, et qua occaſione

 velim,

velim, vt Arrianus prouinciam, e qua exportatum, et in emporium, quod dixi, vendendi caussa, deportatum sit, simul indicasset. Quod ab eo neglectum esse, viri eruditi complures, credo, mecum desiderabunt. Nec Plinius in eius solo patrio anquirendo et memorando, diligentior fuit et curiosior. Descripta aeris, e cadmia, lapide aeroso, et chalcite, qui in Cypro vocabatur, vulgaris natura, huius vilitatem ait esse, sua certe aetate, praecipuam, reperto in aliis terris praestantiore, maxime *aurichalco* (cuius loco *Festus* ipse, rectius *orichalcum* scribi putat) quod praecipuam bonitatem admirationemque diu obtinuisset; nec reperiri longo iam tempore, effeta tellure (H. N. l. XXXVI. c. 1. p. m. 639). Haec vere scribere non poterat, si ipsius animo non nisi *orichalcum facticium* obuersabatur: huius enim et patria, et conficiendi ratio, ipsum haud fugiebat: itaque de nato ipsum loqui oportet. Cuius melioris, praestantioris et admiratione dignioris patriam, vti non nominauit, ita ne indagasse quidem videtur: quippe quam, vel non explorato cognitam, paucis certe verbis designasset. Quod eius silentium haud dubie permouit Harduinum, vt haec ad verba superiora animaduerteret: *nec forte vspiam exstitit*, (scil. orichalcum illud auro paene par) *praeterquam apud poetas, et in fabulis: vt Aristoteli persuasum olim fuisse auctor est Apollonii Scholiastes. Plautus in Mil. Act. III. Sc. I. v. 64. tres homines frugi, aequi ponderis cum aurichalco aestimat:*

Cedo tres mihi homines aurichalco contra cum istis moribus.

Quae praeterea obseruat, a caussa prorsus aliena sunt; siquidem non tam ad natum, quam ad facticium pertinent orichalcum. Res itaque omnis accuratiorem postulat disputationem. Nimirum Apollonius Rhodius aeque, ac Hesiodus,

ὀρει-

— — — ὀρειχάλκοιο φαεινοῦ

mentionem fecisse reperitur (Argonaut. l. IIII. v. 973): ad haec verba Scholiorum auctor (p. m. 236. a) obseruat: ὀρείχαλκος, εἶδος χαλκοῦ, ἀπὸ ὀρείου τινος, γενομένου εὑρετοῦ ὠνομασμένος. In quo, numquid veri sit, examinare non placet. Tum pergit: Ἀριστοτέλης δὲ ἐν τελεταῖς φησὶ, μηδὲ ὑπάρχειν τὸ ὄνομα (eius puto, qui id inuenisse, et ex quo nominatum esse creditur) μηδὲ τὸ τούτου εἶδος. Τὸ γὰρ ὀρείχαλκον ἔνιοι ὑπολαμβάνουσι λέγεσθαι μὲν, μὴ εἶναι δὲ· τῶν δὲ εἰκῆ διαδεδομένων καὶ τοῦτο. Cui Aristotelis suspicioni plures aliorum auctoritates opponit Scholiastes: Οἱ δὲ πολυπραγμονέστεροι, inquit, φασὶν αὐτὸν ὑπάρχειν· μνημονεύει καὶ Στησίχορος καὶ Βακχυλίδης. καὶ Ἀριστοφάνης δὲ ὁ γραμματικὸς, σεσημείωται τοῦτο. Ἄλλοι δὲ ἀνδριαντοποιοῦ λέγουσιν ὄνομα, ὡς Σωκράτης καὶ Θεόπομπος ἐν εἰκοστῷ πέμπτῳ· κ. τ. λ. Quae Scholiastae verba etsi rem, de qua quaeritur, non prorsus expediunt, neque vt multo, quam ante, certiores simus, faciunt: tamen ea temere et inconsiderate addubitare prohibent, siquae a poetis tradita, et, magis vt placeant, ingeniosius exornata, aut non amplius, aut multum mutata reperiamus. Namque vel ipsa eorum commenta et fabulae, adeo non merae sunt fabulae, mera commenta, ab omni vero longe remotissima, vt potius in singulis veri nonnihil insit, non nude ac more philosophis sollenni propositum, sed ingeniose mirificeque conuersum, et verbis exquisitis ac venustis ita descriptum, vt miraculi speciem habere videatur. Quod quam verum sit, ex vno Palaephati libello, plures vt taceam, iam satis intelligi potest. Aristoteles igitur non ita, vt par erat, et acutum prudentemque philosophum decebat, sese gessit, dum ὀρείχαλκον, a poetis tantopere laudatum, praeterquam inane nomen, nil esse, nec

nisi ex illorum ingenio effluxisse contendebat. Huic eius sententiae, praeter aliorum, quos πολυπραγμονεστέρους vocat Scholiastes, scriptorum testimonia, plane aduersatur Plato (in Critia p. 51. vol. X. ed. Bipont.) siue, quem hic loquentem induxit, Critias, qui id praesenti tempore solummodo nominari largitur, olim vero plurimum fuisse ait in multis *insulae Atlanticae* locis, suoque pretio metalla tum cognita, ab auro solo si discedas, omnia superasse (καὶ τὸ νῦν ὀνομαζόμενον, τότε δὲ πλέον ὀνομαστὸν ἦν τὸ γένος, ἐκ γῆς ὀρυττόμενον ὀρείχαλκον κατὰ τόπους πολλοὺς τῆς νήσου, πλὴν χρυσοῦ τιμιώτατον ἐν τοῖς τότε ὄν, κ. τ. λ.). De qua Platonis sententia quid existimandum sit, ante multos iam annos Francogallus longe Celeberr. Baudelotius de Dairval, indagauit, et singulari libello exposuit in consessu Academicorum Parisinorum, titulis et bellis, quas vocant, litteris (Inscriptions et Belles-lettres) curandis prouehendisque creatorum (p. 60. ss. Tom. III. Commentt. vers. Godsched.). Atlanticam hanc insulam ὑπὲρ Ἡρακλείας στήλας ἔξω, i. e. vltra columnas Herculis, vel fretum Gaditanum, olim exstitisse quidem, sed ex ea, per vehementiorem terrae concussionem submersa, nil nisi δυσανάπορον πηλὸν, seu coenum nauigantibus ineluctabile superesse, largitur Aristoteles aeque, ac Plato et scriptores alii *), Eudoxus, Strabo, Philo,

*) In his *Posidonius* maxime memorandus est, de quo in libro recentissimo: Geographie des Grecs analysée; ou les Systêmes d'Eratosthenes, de Strabon, et de Ptolemée, comparés entre eux, et avec nos connoissances modernes. Par M. Gosselin. A'Paris, 1790. form. quadripertita c. tabb. geograph. haec relata lego: Posidonius croyoit à l'Atlantide de Platon, et pensoit, comme lui, qu'un tremblement de terre l'avoit fait disparoitre (Strab.

Philo, cet. Ecqua demum caussa eum, hoc concedentem, adducere potuit, vt orichalcum, quod priscis monimentis, apud Aegyptios superstitibus, conuenienter, eadem in insula effossum, et inde exportatum fuerat, praeterquam merum et inane nomen, nihil esse contenderet? Fac, vt ipse nihil eius nec viderit, nec tractarit; num hoc pro caussa satis graui iustaque rem negandi habere poterat, aut debebat? Equidem vehementer dubito: nam innumera esse, quae non videamus, neque tamen idcirco in dubium vocare audeamus, ecquis est, qui non concedat? Ipse philosophus Stagirites multis de rebus nec visis, nec tractatis, in libris potissimum physicis exposuit, neque eas similem ob caussam, addubitauit. Sed quorsum haec omnia? Nimirum vt Aristotelis de orichalco sententia admodum infirma, et assensione nostra vix digna appareat, nosque non temere, nec inconsiderate Platonis in partes transire videamur. Fuit olim haud dubie orichalcum, metallum auro non multum vilius et inferius, idque ad rerum variarum ornatum, quin, Arriano auctore, ad numos cudendos adhibitum: sed id pedetentim vsurpari desiit, hominesque penitus fugit, ex quo, vel in submersa insula, eius solo patrio, non amplius effodi poterat, vel mercatores et nautae, diuturno pariter ac periculoso per fretum Gaditanum itinere deterriti, et Hipparchi, de quo in obseruatione antegressa nonnihil dictum est, auctoritate, in proposito suo magis confirmati, eo proficisci, et ibi negotiando, in mercimoniis aliis, hoc

(Strab. Geogr. l. II. p. 160. ed. Almeloveen). Mais ce qui le rend plus recommendable en géographie, c'est qu'il fit tous ses efforts pour prouver, contre l'opinion d'Hipparque, que l'on pouvoit naviguer tout autour de l'Afrique, depuis les Colonnes d'Hercule, jusqu'au golfe d'Arabie.

hoc metallum exportare, et in Graeciae Latiique provincias deuehere nolebant. Quin fieri potuit, vt non nisi per eiusmodi nautas et mercatores, iusto cautiores vel potius timidiores, rumor spargeretur, aut insulam prorsus submersam esse, aut orichalci venas tantopere exhaustas, vt iam aduehi posset nullum, neque ipsi ad eiusmodi iter suscipiendum adigerentur. Vtramque eius iam incogniti, nec amplius vsitati, caussam memorant scriptores. Cui coniecturae qualicunque meae, aliam de hoc orichalco subiungere liceat. Non ita diu innotuit metallum, auro fere par, quod *Platinae* nomine vocare solent viri harum rerum amantes. Id vltra Herculis columnas, in Americae regionibus reperiri, in Europam deportari, colore fere candido esse, maximique aestimari constat. Possintne haec omnia nos in opinionem adducere, vt hoc metallum, Europaeis breui abhinc tempore cognitum, si non pro ipso antiquorum *orichalco*, certe quidem pro genere ipsi simillimo finitimoque habere audeamus? Equidem decernere nolo: videant alii, me intelligentiores; simulque isti, quibus aditus ad Museum Herculanense patet, explorent pateras et instrumenta illa, quae, ex candida facta materia, in thesauro isto adseruari testatur Winkelmannus (Monumenti Antichi inediti, T. II. p. 172). Ea, reor, ad lapidem Lydium bene exacta et explorata, rei, de qua quaeritur, lucem affundere possunt, et coniecturam hanc meam vel refellere, vel magis confirmare. Quae si a vero non quam longissime abest, habemus in hac quasi massa, metallum, quod in locorum, vltra Herculis columnas sitorum, cuniculis effoditur, auro ipsi, qua praestantiam et pretium, paene par est, idque colore candido: quod Aristotelis, Plinii, aliorum aetate, non poterat non rarissimum esse, non tam eam ob caussam, quod terra tum, vt Plinius iudicat, eius effeta esset,

quam

quam quod nautae et mercatores prouincias, ſolum eius patrium, non amplius adirent, idque in ceteris bonis atque mercimoniis inde in Europam deportarent. Sed ego, quod paullo ante iam dixi, decernere non audeo: maxime quidem, quum me, quid coniecturae meae aduerſetur, haudquaquam fugiat. Scio enim, id metallum admodum durum eſſe et aſperum, ita vt malleo quaſi attenuari deducique, igni per ſe liquefieri, et ornatum qualemcunque inde fabricari poſſe negent viri, qui eius naturam periclitando adhuc explorarunt: verum nec minus ſcio, eiusdem fruſta non niſi longe minutiſſima, per Hiſpaniarum regis leges et decreta πολιτικὰ, in Europam importari, atque in manus peruenire virorum, qui ipſius naturam prorſus explorare, et aptam ad res complures rationem vſumque declarare poſſent. Quod interdictum donec legis vim habebit, vera ipſius natura et proprietas ignorentur, neceſſe eſt. Fieri poteſt, vt antiquitatis artifices viam et rationem certiſſimam habuerint eius ingenioſe prudenterque ad mundum varium vſurpandi, ſed quae non minus, quam aeris ad enſes, haſtas, ſecures, cet. parandi et indurandi ratio, pedetentim interierit, quamque cum maxime ignoramus, certe non adhibemus: ſed poteſt etiam fieri, vt, quemadmodum adamantis ſegmenta, more noſtro non polita, verum quaſi bruta, ita et orichalci fragmina, vt erant, effoſſa, ad res exornandas applicarent. Plura hariolari non lubet: ſed hoc vnum ſolummodo adiicere, R. Watſonum, Epiſcopum Landaffienſem Plurimum Reuerendum et Celeberr. in commentatione aliqua docuiſſe, *Orichalcum* veterum quam maxime diuerſum fuiſſe ab eo, quod hodie hoc nomine vſurpamus. Eius Comment. exſtat in Memoirs of the litterary and philoſophical Society of Mancheſter, vol. II. comment. 3.

EX-

EXCVRSVS VIII
AD PART. I. CAP. V
DE
VARIA MATERIA OPERVM ANTIQVORVM.

Hoc capite immortalis ERNESTIVS primum locum tribuit *ebori;* et de hoc ſcripſit, quae repetere non neceſſe eſt: maxime quidem, quoniam de ipſius vſu in ſignis Deorum Dearumque, tum integris, tum artubus eorum praecipuis fabricandis, mundoque aureo exornandis, ſupra iam nonnulla commemoraui. Quin paucas minoris et intelligentiae et pretii opellas, vel minutias ex eo paratas indicaui, quarum numerum ex illuſtriſſimi Cayli Collectione facile adaugere potuerim, ſi me operae pretium facturum credidiſſem. Vnde hoc ſuper loco non niſi ſcriptoris cuiusdam Belgici, *Gallandati*, dum in viuis erat, multis nominibus meritiſſimi, commentarium aureum *de Ebore*, lingua eius vernacula ſcriptum, eundemque tam viris, hiſtoriae naturalis amantibus, quam mercatoribus et artificibus longe vtiliſſimum, in memoriam reuocabo: qui quidem exſtat in Commentariis Societatis Litterariae Vliſſingenſis (Verhandelingen vitgegeven door het zeeuwſch Genootſhap der Wetenſchappen te Vliſſingen) horumque vol. VIIII. Middelburgi a. 1782. diuulgato. — Teſtudinis vſus quoniam non adeo late patuit, copioſius qui exponatur, vix dignus eſt. — Lignorum genera complura eximiam priſcis artificibus attulere vtilitatem. Praeter eam, quam in ſtatuis, vel ex ebore ſolo, vel ex hoc auroque ſimul fabri-

fabricandis, praeſtitiſſe ſupra iam monui, habuere hanc etiam, vt ex eis ſolis ſigna integra conficerentur: quin priſci homines, auctore quidem Pauſania (Arcad. ſ. l. VIII. c. 17. p. 633), qui ſeſe hoc ex antiquitatis monimentis didiciſſe ait, non aliis materiae generibus ad ſimulacra Deorum vſi ſunt, quam ebeno, cypariſſo, cedro, quercu, ſmilace, loto. Quae ratio ab Aegyptiis inchoata, et pedetentim ad alios populos propagata videtur. Deorum enim, cultu religioſo ab eis mactatorum, ſigna ex ligno fabricata fuiſſe, apparet ex eodem Pauſania (in Attic. ſ. l. I. c. 42. p. 102.), quo loco *Apollinis, Pythii* vel *Decumani,* ſtatuas nihil fere ab ligneis Aegyptiorum ſignis diſcrepare memorat: quod verum eſſe, alio loco (p. 633.) confirmat *Mercurii Cyllenij* ſtatua, e citro fabricata, pedum haud minus octo altitudine. Tale quoque fuit *Apollinis Archegetae,* totum ex ebeno, apud Megarenſes (Pauſan. in Att. ſ. l. I. c. 42. p. 102); item eius aliud ligneum, nudum atque inſigni magnitudine, quod Laphais, Phliaſii, opus, Aegira in aliis iactitabat (id. in Achaic. ſ. l. VII. c. 26. p. 592): vti et eiusdem *buxeum,* capite aurato, quod a Locris ad Zephyrium promontorium dicebatur dedicatum (id. in Eliac. poſt. ſ. l. VI. c. 19. p. 499): porro aliud eiusdem Dei, *Iſmenii* cognomento celeberrimi, e *cedro* ſculptum (id. in Boeot. ſ. l. VIIII. c. 18. p. 730); cuiusmodi *Apollo cedrinus* etiam Romae, Plinio teſte (H. N. l. XIII. c. 6. p. 686. T. I. opp. coll. l. XXXVI. c. 5. p. 728. T. II. not. 75) exſtitit, Seleucia aduectus. Quo ex ligno *Aeſculapii* ſignum ſculpendum curaſſe dicitur Nicias Mileſius, et manu quidem Eetionis (v. Theocrit. Epigr. VII. v. 4. ſs.)

καὶ τὸ δ' ἀπ' εὐώδους γλύψατ' ἄγαλμα κέδρου,
Ηετίωνι χάριν γλαφυρᾶς χερὸς ἄκρον ὑποςὰς
μισθόν· ὁ δ' εἰς ἔργον πᾶσαν ἀφῆκε τέχνην.

Porro

Porro *Bacchi*, seu Liberi Patris, signum e ligno, cinnabari illitum (Paus. in Ach. s. l. VII. p. 593): *Dianae Ephesiae*, ex ebeno, auctore Plinio (H. N. l. XV. sect. 79. p. 77): quod tamen e cedro fabricatum contendit Vitruuius (l. II. c. 9. p. 35) et alii; tum *Dianae Limnatidis* ex ebeno (Paus. in Arcad. s. l. VIII. c. 54. extr. p. 708): duo *Iunonis reginae* signa cupressea, quae Romae, singulis annis, in pompa sollenni per vrbem ferebantur (Liu. l. XXVI. c. 37). Plura, quorum facies, manus et pedes ex marmore candido, aut ebore factos additosque memorat Pausanias (ll. cc. p. 514. 517, 592. alibi), de industria omitto. Atque vt Deorum signa antiquissima, ita et statuas heroum, et primorum victorum Olympicorum, non nisi ex ligno factas accepimus: vt, *Aiacis*, ex ebeno facta, quae Salamine collocata erat (Pausan. in Att. s. l. I. c. 35. p. 85); vt *Praxidamantis*, Aeginetae, e cedro, *Rhexibii*, Opuntii, e fico (id. in El. post. s. l. VI. c. 18. extr. p. 497). Ad quem morem spectasse videtur Virgilius in Pici regia describenda; cuius in reliquo ornatu interiore erant

— etiam veterum effigies ex ordine auorum
Antiqua e cedro.

Plura etsi, quae de lignis, eorum coloribus, operibusque minoribus, ex eorum vnoquoque fabricatis, dicere possim, habeo: haec tamen, praesenti tempore et opportunitate, non sine caussa grauiori, praetermitto. Interim duo adhuc, ὡς ἐν παρόδῳ, monere placet: nimirum lignis ab Auctore Celeberr. memoratis addi posse, et debere *Sycomorum* et *laricem*. Namque ex huius, feminae quidem, Graece πεύκη dictae, trunco secabantur tabulae tenuiores, in quibus pictor optimus quisque et celeberrimus pingere solebat: si quidem ipsius lignum, auctore Vitruuio (de Archi-

Architect. l. II. c. 9. p. 35. ed. de Laet) hoc proprium habet, vt *non solum ob* (Galianus, Marchio Neapolitanus edidit, *ab) succi vehementi amaritate, ab carie aut a tinea non noceatur, sed etiam flammam ex igni non recipiat, nec ipse* (sc. larix) *possit per se ardere, nisi — — — aliis lignis vratur.* Quod idem fere testatur Plinius (H. N. l. XVI. c. 10. p. 9. Vol. II. opp. coll. Hard. not. ad h. l. et c. XXXX. p. 36). Cuperus etiam, dum in viuis esset, celeberrimus, per epistolam ad Scheuchzerum missam, docte, vt eius mos erat, super huius ligni proprietatibus disseruit, quae in Schellhornii Amoenitt. T. II. p. 262. reperitur. Verum si, quae Vitruuius (l. c.) de tempore et ratione, qua tam peculiares ipsius proprietates animaduersae sint, memoriae tradidit, vera sunt: Graeciae pictores in primis celebres huiusmodi tabulas haudquaquam vsurpare potuerunt. Vnde copiosius de hoc ligno et tabulis ex eo factis disputare, prorsus superuacaneum esse opinor. — *Sycomori*, ficus Aegyptiae, lignum Aegyptii potissimum ad res plurimas conficiendas adhibuere. Deorum, quos ipsi colebant, simulacra prisca quum lignea essent, teste Pausania, quod supra iam monui; in Cayli Illustrissimi sententiam abire haud vereor, qui ipsos huius arboris ligno perquam duro, denso, firmo, quin firmissimo, in primis vsos contendit, vti ad mortuorum thecas et artificia alia, ita etiam ad eiusmodi signa fabricanda (v. eius Collect. Antt. T. I. p. 132; III. p. 6. f; IIII. p. 45. 50; VI. p. 14. ff. al.). Quae cum maxime supersunt figurae Aegyptiacae ligneae, quales diuersae Romae exstant (v. Winkelmanni Hist. Art. p. 101. ed. Vien.) eas credibile est, si non omnes, certe quidem plerasque, quamuis auro vel coloribus illitas, ex arboris, de qua quaeritur, ligno fabricatas esse. Quin Isidis sigilla valde minuta, et alia Aegyptiorum idola lignea,

 eadem-

eademque coloribus picta, manibus tractare me memini, quae haud dubie simili ex ligno erant sculpta. Sed plura, quae de lignis addam, nec habeo in praesenti, nec, si habeam, hoc loco addere velim; maxime quum opportunitate alia, eaque accommodatiori, nonnulla de iis adiicienda videam. Nec de coloribus in vniuersum, quidquam ad immortalis Auctoris dicta (§. 9. p. 26.) reor addendum esse, nisi hoc vnum, quod admodum nuper prolusiones peculiares super iis commentari coeperit V. D. Frid. Guil. Doering, illustris, quod Gothae floret, Gymnasii director, cuius prolusio prima de Coloribus Veterum, A. MDCCLXXXVIII. in lucem exiit. Optabile est, vt auctor eruditissimus telam inchoatam, quam primum fieri potest, continuare et pertexere ne grauetur.

EX-

EXCVRSVS VIIII

AD PARTIS II. CAP. I

DE

LIBRIS SCRIPTIS.

Locum de libris ſcriptis, hoc capite ſic expoſuit Auctor immortalis, vt, quod addam, equidem non habeam; eoque minus, quo certius huiusmodi quaeſtio ad τȣ̃ *Antiqui* vim et praeſtantiam intelligendam, nullo modo pertinere videtur. Cuius tantummodo ratione habita, non dubito, fore plerosque, qui eum a me tactum nolint: contra alios credo futuros, qui, inuenta non ſine meditatione multoque vſu ſcribendi ratione, ſcire percupiant, ecqua tandem via ad libros ſcriptos ſcribendosue peruentum ſit. Hanc igitur, quantum per monimentorum fide dignotum paucitatem licet, indagare, et hoc excurſu perſequi libet non aliam ob cauſſam, niſi hanc, quod eam tum ad res alias, ſcitu haud indignas, tum ad antiquitates in vniuerſum ſane quam vtilem fore reor, et fructuoſam. De quo plane perſuaſus, qui non nihil laboris et ſtudii hac in re, quam non niſi pauciſſimis attigit libelli A. (P. I. c. 1. §. 17.) magis explicanda, temere et inconſiderate collocatum cenſeam? — Coniectura qualiscunque mea, quam de ſcribendi via et ratione inuenta pariter, ac propagata, ſupra (Exc. III. p. 118. ſſ.) cum viris eruditis communicaui, ſi non prorſus futilis eſt, ac contemnenda, ſed aliqua, minimum, veriſimilitudine ſeſe commendat; eam hoc etiam nomine aſſenſione dignam puto, quod, qua in materia haud

dubie ſcribi coeptum ſit, commonſtrare videtur. Quamquam enim Celeberrimus libelli, iam iterati, A. non minus, quam priſci ſcriptores, materiam plus quam vnam ad hoc negotium tradit adhibitam: credibile tamen eſt, principio hanc e reliquis eſſe potiſſimum ſelectam, quam facillime et nanciſci, et conſilio ſuo aptare, et ſecum geſtare, et in qua verbula pauca pingere, ſeu vtcunque ſcribere poſſent. Vt enim artifices primi prima omnium ſigna non ex marmore, non ex aere, non ex ebore, ſed ex materia molliori et facilius tractanda fabricaſſe conſtat: ita etiam veriſimillimum eſt, homines primos non in tabulis lapideis, aeneis, plumbeis, vel in papyro membraniſue, ſed in materia, qualem quidem deſcripſi, ſcribere coepiſſe. Quod a fide eo propius abeſt, ſi homines mercaturae faciendae lucrandique ſtudioſi rem, de qua quaeritur, inchoarunt. Tales enim diuerſi generis mercimonia, e patrio ſingulorum ſolo terra marique exportantes, et in prouincias haud raro longiſſime remotas deuehentes, harum ciuibus ſignificare oportuit, quae aduecta venditarent. Quod in primis neceſſarium erat, ſi quo caſu ventiſque aduerſis, vel tempeſtatibus acti, offendebant homines, quibuscum recte et explicate loqui per linguae cuiusque populi vernaculae diſcrepantiam non liceret. Quo facto, huiusmodi nautis et mercatoribus confugiendum fuit ad tabellas, in quibus per certa ſigna, et litteras vtcunque pictas, mercimonia venalia, horum rationem, proprietates, pretium, alia, paucis indicarent, eaque via et ratione peregrinos ad merces vel emendas, vel permutandas inuitarent. Cuiusmodi tabellas vt in promtu haberent, eae debebant ſic comparatae eſſe, vt ipſas in foris ſine multo labore affigere, rurſus tollere, earum ſcripturam mutare, et, ſi res ita ferebat, alia in naualia et loca, ſecum auferre, ibique rurſus publice exponere poſſent;

possent; adeoque insigni nec pondere, nec pretio, sed potius maxime parabiles, leues, exiguae, vt earum et circumuectio, et iactura, molestiam crearet nullam. Quas proprietates omnes non nisi in tabellis ligneis, siue asserculis mediocribus extenuatisque, fuisse opinor. Has enim vel nunquam non secum gestabant ad repentinum nauis damnum sine mora resarciendum, vel facile nulloque non loco nancisci poterant: tum minus ponderosae erant et pretiosae: denique earum scriptura multo sine labore induci, eiusque loco alia pingi poterat. Verbo, tabellam similem, velut albi cuiuspiam loco habere poterant homines, et ex earum ratione vtilitates percipere non spernendas. Rem cognitam et peruulgatam alii quoque homines vsurpare quidem, sed longe alio interdum consilio, voluerunt: vt, Proetus, qui coniugis astutia deceptus, Bellerophontem cum tabellis ad Lyciae regem, ab hoc vt interficeretur, dimisit, teste Homero, (Iliad. l. VI. v. 168. f.) cuius verba haec sunt:

πέμπε δὲ μιν Λυκίηνδε, πόρεν δ᾽ ὅγε σήματα λυγρὰ,
γράψας ἐν πίνακι πlυκτῷ θυμοφθόρα πολλὰ, κ. τ. λ.

Ad τὸ γράψας versus posterioris notat Scholiastes (p. 161. edit. Villoison.), γράψαι hoc loco idem esse, ac ξέσαι, οἷον οὖν ἐγχαράξας εἴδωλα, κ. τ. λ. Quae nota, si a vero non aliena est, id, quod breui post indicabo, magis confirmat. In tabulis ligneis Orphei quoque incantationes, et morborum remedia fuisse scripta, testificatur Euripides (Alcest. v. 966. ss.) his versibus:

— — οὐδέ τι φάρμακον (scil. εὗρον)
Θρῄσσαις ἐν σανίσι, τὰς
Ορφεία κατέγραψε
γῆρυς· — — —

 Quae

Quae ad verba pertinet, quod Scholiaſtes ad Hecubae Euripideae verſum 1267. vbi de Thracum vate, Dionyſo, ſermo eſt, memoriae prodidit (p. 59. vol. I. ed. Lipſ.): *οἱ μὲν περὶ τὸ Παγγαῖον εἶναι τὸ μαντεῖον φασὶ τοῦ Διονύσου, οἱ δὲ περὶ τὸν Αἶμον, οὗ εἰσὶ καὶ Ορφέως ἐν σανίσιν ἀναγραφαί· περὶ ὧν φησὶν ἐν Αλκήστιδι, κ. τ. λ.* Quo Euripidis verſu etſi *τὸ καταγράφειν* non minus, quam in Homerico, reperitur vſurpatum: tamen fieri poteſt, vt id non tam proprio, quam translato ſenſu accipiendum, et ex Scholiaſtae Homerici mente per *το ξέειν* ſiue *ἐγχαράττειν* interpretandum ſit. Sed hoc vrgere nolo, quia ſimilem ſcribendi rationem alia demonſtrant exempla. Ea hac fere de cauſſa inuenta et propagata videtur. Nimirum iidem homines, quos lucri ſtudium audaces faciebat et ingenioſos, quique primi in ligneis tabellis ſcribere inceperant, cognito emolumento vario inde ad ſe redundante, haud dubie ſenſim ſenſimque longius progreſſi ſunt. Quum enim plures eadem mercimonia nullo non loco et tempore, iisdem in tabellis deſcripta, venalia eſſe docerent, et litteras atramento, vel colore quocunque alio in eis pictas, identidem fugere cernerent, vt ſcriptura ad legendum difficilior eſſet: easdem, vt per longius tenerent tempus, haud dubie ſcalpro in tabulas incidere, inciſas atramento quodam inducere inchoarunt. Quo inſtituto prudentiſſimo quum id, quod ſequebantur, reapſe aſſequerentur, ipſiusque, ab his frequentati, vtilitas longe maxima percrebuiſſet: accidit, vt alii quoque viri, in primis legum latores, quas ſcripſerant leges, in tabulis ligneis curarent incidendas. Quod vnum Solonis exemplum iam ſatis demonſtrat; quippe qui leges, Athenienſibus ſcriptas, in *axibus ligneis* inciſas voluit, auctore A. Gellio (Noct. Att. l. II. c. 12). Quae quoniam eiusmodi aſſerculis,

Graece

Graece ἄξοσι, fuerant incisae (v. Plutarch. in Solon. p. m. 11. b.) idque litteris vncialibus seu quadratis (τετραγώνοις), leges ipsas ἄξονας vocare solebant Athenienses (v. Suidas s. h. v. p. 240. T. I. ed. Küster). Cuius legislatoris exemplum posthac imitatus est Ancus Marcius, rex Rom. IV. qui Numae commentarios de sacris rite faciendis conscriptos, in tabulas, δελτοὺς, transscribi, et in foro proponi iussit. Sed tempus, quod non male rerum edax appellatur, tabulas illas pedetentim absumsit: ἃς ἀφανισθῆναι συνέβη τῷ χρόνῳ, scribit Dionysius Halicarnasseus (Ἀρχαιολογ. Ρωμ. l. III. p. m. 178) qui his dictis adiungit: χάλκεαι γὰρ στῆλαι οὔπω τότε ἦσαν, ἀλλ' ἐν δρυΐναις ἐχαράττοντο σανίσιν οἵ τε νόμοι, καὶ αἱ περὶ τῶν ἱερῶν διαγραφαί. Eodem modo Servius Tullius leges, quas sanxerat, aequissimas, quia ius aequum faciebant vtrique ordini, nec plebeios sinebant a patriciis circumueniri, in tabulis incidi iussit. Quod effici cogique potest ex Tarquinii Superbi, successoris, ausu temerario, quo leges illas prorsus aboleuit, νόμους πάντας ἀνεῖλε (scribit idem Dionysius l. c. l. IIII. p. m. 245.) καὶ οὐδὲ τὰς σανίδας, ἐν αἷς ἦσαν γεγραμμένοι, κατέλειπεν· ἀλλὰ καὶ ταύτας ἀναιρεθῆναι κελεύσας ἐκ τῆς ἀγορᾶς διέφθειρε. Quo loco quamquam νόμοι dicuntur γεγραμμένοι· tamen credibile est, vocabulum hoc vsitatius positum esse pro κεχαραγμένοι, quod idem auctor, loco paullo ante allato, ipse velut solennius vsurpauit. Sed hanc coniecturam meam vt largiri nolis, ex antegressis tamen Dionysii dictis suspicari licet, quae maxime caussa priscos adduxerit homines, vt a tabularum lignearum vsu, ad aeneas adhibendas progrederentur, et res quascunque memoria dignas, his potius, quam illis, incisas vellent. Nimirum vel exiguo rerum vsu condocefacti norant, quidquid in

 ligneis

ligneis tabulis siue scriptum esset, siue incisum, vna cum ipsis incendio, carie, aeris vi, aquarum impetu, casibus aliis, facile deleri et interire posse, ita vt maiorum res gestae, leges, sacrorum ritus, ac caerimoniae, instituta alia, ipsarum praesidio ad posteros propaganda, his non possent non incognita manere, ac prorsus ignorari. Quod ita esse, praeter alios, viderunt Romani, vrbe per Gallos capta et incensa. Hac enim tempestate, si quae in commentariis pontificum, aliisque publicis priuatisque erant monimentis, ea, incensa vrbe, pleraque interierant, auctore Liuio (H. R. l. VI. c. 1). Quod idem publicis aliorum populorum monimentis euenisse credibile est, oppidis ipsorum hostili furore captis, incensis, deuastatis. Cuiusmodi clades, adeoque similium monimentorum ligneorum iactura atque interitus, nullo modo sarciendus, quum oppidorum omnium ciuibus metuendus esset: viri, patriae amantes, et rerum antiquitus tum gestarum, tum institutarum studiosi non potuere non videre, huiusmodi tabellas in posterum alia ex materia, eaque magis durabili perennique, cui nec aeuum, nec caries, nec ignis, nec aquae et aeris vis tam facile nocere queat, parandas esse. Perspecta huius rei necessitas, vti et aeris, cuius vsum priscis temporibus longe frequentissimum fuisse constat, natura et proprietas homines ea, quae dixi, metuentes, facile adduxerit, necesse est, vt hoc ex metallo tabulas fabricarent, et, quae posteris tradita volebant, in eis inciderent. Quod Romae vel ante Gallicam, quam dixi, cladem, iam satis intellectum est. Nam idem Seruius Tullius, cuius ligneas legum tabulas Tarquinium Superbum prorsus e medio sustulisse Dionysiana, quae supra transscripsi, verba testificantur, postquam foedus inter Romanos et Latinos prudenti consilio sanxisset, ac Dianae templum, in monte Auentino, com-

communibus impenſis aedificatum eſſet, ciuitatibus leges foederis conſcripſit, ritusque celebrandi feſti et fori conſtituit. At vero vt μηδεὶς χρόνος αὐτοὺς, ſc. νόμους, ἀφανίσῃ, στήλην κατασκευάσας χαλκῆν, ἔγραψεν ἐν ταύτῃ τά τε δόξαντα τοῖς συνέδροις, καὶ τὰς μετασχούσας τῆς συνόδου πόλεις. Haec ſunt eiusdem Dionyſii verba (Ἀρχ. Ῥωμ. l. IIII. p. m. 230.), qui columnam vel ſua aetate in aede illa ſupereſſe teſtatur. Idem apparet e verbis Polybii, qui (Hiſt. l. III. c. 26. p. 251. T. I. ed. Caſaub.) τηρεῖσθαι, ait, τὰς συνθήκας, ſc. foederum inter Poenos et Romanos ſancitorum leges, ἔτι νῦν ἐν χαλκώμασι παρὰ τὸν Δία τὸν Καπιτωλῖνον ἐν τῷ τῶν ἀγορανόμων ταμείῳ, κ. τ. λ. Nec minus Hannibal tam copiarum, quas ex Hiſpania ſecum in Italiam duxerat, et quae, ſuperatis tandem Alpibus, illi reſtabant incolumes, numerum, quam reliquum apparatum bellicum, quo et Romanos aggreſſus erat, et Africae Hiſpaniaeque ſecuritati proſpexerat, in eiusmodi tabula aenea deſcripſit, quam ſe Lacinii inueniſſe, et, quae ſcitu neceſſaria erant, in commentarios ſuos inde transſcripſiſſe memorat idem Polybius (l. c. c. 33. p. 261. et c. 56. p. 290). Quid? quod praeter hos teſtes longe grauiſſimos, etiam monimenta varia, quae hodieque ſuperſunt, rem plane demonſtrant. Vt, SCtum de Bacchanalibus, cuius αὐτόγραφον in tabula aenea, quae cum maxime in praeſtantiſſimis muſei Caeſarei Vindobonenſis κειμηλίοις eſt, Matthaeus Aegyptius, inter Siculos eruditos Graece doctiſſimis adnumerandus *), commentario illuſtrauit, et hunc

*) v. Vicende della coltura nelle due Sicilie, o ſia ſtoria ragionata della loro legislazione e polizia, delle lettere, del commercio, delle arti, e degli ſpettacoli, dalle colonie ſtraniere inſino a noi,

vna cum ἀπογράφῳ, litteras priſcas quam accuratiſſime ob lectorum oculos ponente, Neapoli cIↃIↃCCXXIX. promulgauit; item tredecim miſſionis honeſtae exempla, diuerſo et tempore et loco effoſſa, et in lucem prolata, quorum indicem in praefatione *Sylloges alterius Antiquorum Monimentorum*, p. XI. dedi, eo quod omnium antiquiſſimam, Claudianam, praeter alia, hoc libello interpretari mihi viſum eſt. Haec, quae dixi, exempla ſententiam meam plane confirmant. Sed praeter haec, diu ante Minois, Cretenſis, leges aeneis tabulis inſculptae feruntur: et Talos, ipſius quaſi adminiſter in iure dicundo, ἐν χαλκοῖς γραμματείοις ἔχων γεγραμμένους τὰς νόμους, ter quotannis pagos omnes luſtraſſe, ac vidiſſe, vt eas obſeruarent homines, teſte Platone, (in Min. p. 139. vol. VI. ed. Bipont. conf. John Gillies. Hiſtory of ancient Greece, its Colonies and Conqueſts, p. 30. vol. I. ed. Baſil.). Tum aliud memoratur a Pauſania (Eliac. pr. ſ. l. V. c. 23. p. 437): qui, ante Iouis ſignum, in Olympia collocatum, ἔστιν, inquit, στήλη χαλκῆ, Λακεδαιμονίων καὶ Ἀθηναίων συνθήκας ἔχουσα εἰρήνης, κ. τ. λ. ac paullo ante (l. c. c. 20. p. 428.) mentionem iniicit columnae peruetuſtae, quae ſola ſteterit ex Oenomai aedibus, fulmine incenſis ac combuſtis, cum tabella aenea, in qua hosce verſiculos videbat inciſos:

Καὶ γὰρ ἐγὼ κείνων εἰμ', ὦ ξένε, λείψανον οἴκων,
  Στῦλος ἐν Οἰνομάου πρίν ποτ' ἐνοῦσα δόμοις·
Νῦν δὲ παρὰ Κρονίδην κεῖμαι τάδ' ἔχουσα τὰ δεσμὰ
  Τίμιος· οὐδ' ὀλοὴ δέξατο φλόξ με πυρός.

Verbo,

noi, diviſa in quattro parti, di Pietro Napoli Signoretti, Napoletano, cuius volum. V. Neapoli 1786. in lucem edito, copioſe hoc de viro erudito diſputatur.

Verbo, cognitam habebant prisci homines aeris et rerum, ex ipso fabricatarum rationem, idque sciebant quouis ligno, et res, ex eo factas, quibuscunque ligneis durabiliores esse ac perenniores. Hinc diuersi generis instrumenta et vasa aenea habuisse narrantur. In aliis quam plurimis, quae fugere, qui Homerum legit, possunt neminem, de simili poculo, seu ὑδρία χαλκῆ, differit Pausanias, hancque ab Aristomene, qui Messeniorum dux et propugnator erat fortissimus, imminente patriae fato ineluctabili, noctu in maxime deuia desertaque Ithomes, montis, parte, insciis omnibus, defossam quidem, conditis in ea consilio longe prudentissimo sacrorum arcanorum ritibus, sed aliquamdiu post, ab Epitele quodam, accepto per visum nocturnum mandato, rursus effossam, et ad Epaminondam delatam esse memorat (Messen. s. l. IIII. c. 26. p. 343. s. coll. c. 20. p. 328). In ea per hunc, non manibus irreligiosis, sed sacris antea rite peractis, aperta quid repertum sit, post videbimus: hoc loco id tantum bene obseruatum velim, vasa quoque aenea priscis hominibus visa esse aptissima rebus, quas interire nolebant, conseruandis. Fieri quidem potuit, vt illi tabulas ligneas cum plumbeis, propterea quod hoc metallum facilius diduci malleo, stilusque acutus sine multo labore litteras in eis fingere poterat, permutarent, antequam ad aenearum vsum procederent: sed tempus exiguum eos docuerit, oportet, plumbi massam non esse satis durabilem, sed igni facile liquescere, aliaque ratione corrumpi solere. Ita Boeoti, proximi Heliconis accolae, Hesiodum ipsum, vel quemcunque hominem alium, vnicum vatis, quem dixi, opus genuinum, ἔργα καὶ ἡμέραι, plumbeis in tabulis scripsisse contendebant; quin ostendebant Pausaniae μόλιβδον, tabulam plumbeam, prope fontem, Hippocrenen, collocatam, in qua id carmen

carmen exstare perhibebant: sed quam hic scriptor, τὰ πολλὰ ὑπὸ τοῦ χρόνου λελυμασμένα, vetustate, magnam partem, prorsus vitiatam fuisse testatur (Boeotic. l. l. VIIII. c. 31. p. 771). Quam plumbi, μολίβδȣ, metalli facile dispereuntis naturam vt non ignorasse videtur praetor, quem paullo ante dixi, Messenius; ita tabulas, in quibus incisa erat, τῶν μεγάλων Θεῶν ἐγέγραπτο ἡ τελετή, i. e. Deorum magnorum mysteriis initiandi et sacris operandi ratio, quamuis e κασσιτέρῳ, albo et praestantiori plumbo, siue stanno, non e μολίβδῳ factas, credidit in poculo aeneo condendas, antequam in terra defoderentur: haud dubie veritus, ne nude ac sine vllo veluti munimento defossae, a telluris humore, sale, nitro, particulis aliis, breui tempore vitiarentur. Atque hac cautione adhibita, quod sequebatur, reapse adsequutus est Aristomenes, vir patriae amantissimus, eodem Pausania auctore. Interim quo tempore hoc ab aliis hominibus aut populis factum est, eo fieri etiam potuit, vt alii res adhiberent alias, in quibus pauca animi sensa et verba scriberent: vt, folia maiuscula *arborum nonnullarum*, vt, palmae, populi, maluae, similium, quae, succo per vim expresso, instrumento ligneo alioue laeuigari, et ad scribendum adhiberi solebant more fere Malabaris hodieque vsitato; *tabulas cera illitas*, quas, vulgo *pugillares*, Graeci κηρὸν (Paus. in Phoc. l. l. X. p. 898) vt Latini, *ceram* (Quinctil. I. O. l. XI. c. 2. §. 33) vocare suerant; *plagulas linteas*, quarum binae semper, recte sciteque conglutinatae, satis firmae erant, et scribendo aptissimae; *corticem*, et multo frequentius *librum* nonnullarum arborum, iusta ratione praeparatum; *pelles caprinas ouillasue*, διφθέρας, ita vt pilis non abrasis, alterum tantummodo latus huic negotio aptarent: quae fuit caussa, cur τὸ *liber* apud Latinos, vt διφθερα,

apud

apud Graecos, Ionas potiſſimum (Herodot. Hiſt. l. V. p. 399. ſ. coll. not. 7. ad h. l.) βίβλον, ſiue codicem, ſignificaret. Alia, rarius ad ſcribendum vſurpata, vt et quae de papyro Aegyptiaca et charta Pergamena, ſeu membrana, ſunt dicenda, hoc loco de induſtria non tango. Verum etſi priſci homines tot et tam varias res in ſcribendi negotio, plus, minus, adhibuiſſe memorantur: nemo tamen facile erit, quin earum plerasque partim ſcriptis longioribus excipiendis minus aptas, partim admodum imbecillas, fragiles et facillime perituras fuiſſe, peruideat. Ipſa aetas, ignis, aer, imber, caries, verbo, hoſtis non vnus eas vitiare poterat, adeoque impedire, quo minus res, in eis ſcriptae, poſteris, quorum eas non ignorare potiſſimum intererat, vſui forent. Vt igitur viri prudentiores, rerum ſimilium vel inutilitate, vel fragilitate intellecta, ad aeneas, quod ſupra demonſtratum eſt, progreſſi ſunt tabulas, et res geſtas, inſtituta, foederum leges, cet. in his memoriae prodiderunt, eo quod in locis ſacris tutisque admodum facile adſeruari poſſent: ita contra ad ſaxa et marmora abierunt, ſi monimenta rerum, poſteritati tradendarum, in locis publicis collocari oportuit: quod Aegyptiorum, Graecorum et Romanorum ratio vſusque, et tot lapides antiqui cum maxime ſuperſtites demonſtrant ita, vt rem in dubium vocare nequeas. Verum haec iam perſequi non placet, quoniam breui poſt hoc ſuper loco, ſi quidem velim, pluribus disſerere poſſum. Ad id potius pro ſe quisque mecum intendat animum, qua via et ratione ſatis probabili, ad volumina paranda et ſcribenda peruenerint priſci homines. Eam non tam affirmo, quam ſolummodo coniicio, talem fere fuiſſe. Nimirum ipſos conſtat ad ſcribendum, praeterquam alia, *libro*, ſiue interiore quarumdam arborum cortice vſos eſſe. Grandiorum

diorum et annis quaſi prouectiorum *librum* vix credibile eſt, eos ſumere potuiſſe; quoniam ex his non facile decorticari poteſt ita, vt integer et ſcribendo aptus ſit. Ex tenellis contra, quaſi iuuenilibus et teretibus, non ſolum exterior, i. e. cortex proprie dictus, ſed etiam interior, certo anni tempore, et adhibita cautione neceſſaria, ſine magno multoque labore deglubi potuit, et ſcribendo aptari. Sed tum talis *libri* plagulae per trunci teretis ramoſique rationem non poterant eſſe nec admodum altae, nec latae, vt adeo non niſi pauca in eis ſcribere poſſent; donec ſollertis ingenii homines, ratione huiusmodi plagulas conſuendi aut conglutinandi excogitata, aliis materiam ſuppeditarunt, in qua longioris argumenti res exararent. Quas plagulas vt ex tereti deglubere ſolebant ligno, ſeu trunco, ita quoque non potuere non facile comprehendere, eas vna cum rebus ibi ſcriptis tum demum melius et certius conſeruari poſſe, ſi circa idem illud, aut ſimile lignum volutas, et involucro tectas, in loco quodam ſicco tutoque adſeruandas curarent. Quin fieri potuit, vt poſtremam plagulae intimae oram e ligno non penitus decorticarent, ſed in eo haerere ſinerent; alteri vero et oppoſitae eiusdem orae plagulas, quotquot opus erat, adſuerent adglutinarentue, eoque modo docerent alios, quid facto opus eſſet, vt plagulas ſcriptas bene recteque conſeruarent. Qua ex coniectura, ſi non prorſus futilis, abſona et temeraria eſt, plane poteſt intelligi, qua via et ratione priſcae aetatis homines ad volumina paranda peruenerint. Nimirum adipiſcebantur, quo dixi modo, cylindrum, eundemque quaſi naturalem: hic habebat vmbilicos, ſiue cornua: verbo, res tantum non ſingulas, quae in volumine integro adfuiſſe memorantur. Nil ipſis, niſi ornatus adſcititius defuiſſe videtur. Qua in coniectura me magis etiam confirmat,

mat, quod de tabulis, e *κασσιτέρῳ*, seu plumbo candido, factis, ab Aristomene, grauissimas ob caussas, aenea vrnula conditis, et in tellure defossis, Pausaniam memoriae prodidisse, supra iam narraui. Epaminondas enim, cui nocte antegressa, in somnio, vir grandis natu, cum insulis et reliquo antistitis ornatu adstiterat, cuique Epiteles, simili viso eadem nocte admonitus, vrnulam in loco designato effossam, attulerat aperiundam, in hac manibus castis, piis ac religiosis aperta, reperit *κασσίτερον ἐληλασμένον ἐς τὸ λεπτότατον· ἐπείλικτο δὲ ὥσπερ τὰ βιβλία. ἐνταῦθα τῶν Μεγάλων Θεῶν ἐγέγραπτο ἡ τελετή.* Qua ex scriptoris Graeci narratione, quid effici cogique possit, quis est, qui non facillime peruideat? Primum memoratur stannum in tabulam vnam pluresve, easdemque tenuissimas, diductum: quod metallum haud dubie antelatum erat aeri propterea, quod hoc non aeque, ac stannum, in eiusmodi laminas diducere, et ad conuoluendum satis idoneum reddere, vsu didicerant. In illa illisue laminis exarata erat *Initiorum*, seu *mysteriorum certorum* formula: qualis haec fuerit, hic anquirere non attinet. Satis pro consilio nostro est, si eam stilo, vel alio instrumento acuto, massae huic molliori facilius, quam aeneae, inscalpi potuisse notamus. Vnde in hac virorum rei antiquae intelligentium coniectura, a rerum molliorum vsu ad duriorum tandem peruentum esse, si quid veri inest, vt inesse arbitror, probabile fit, tabulas istas paratas et scriptas esse, antequam ad aeneas progrederentur. Tandem ex hac historia, vel, si mauis, fabula apparet, librorum siue voluminum conuoluendorum rationem eo iam tempore, si non vsitatam, certe quidem inchoatam esse: maxime quidem, si Aristomenes, necessitate coactus, tabulas ab interitu seruandas propterea conuoluerat, quod eas expan-

expansas aeneum, quod supra dixi, vasculum capere nequiret. Itaque ad volumina, quae proprie dicuntur, peruentum esse videtur. — Librorum quadratorum, quos vocant, alia est ratio: quippe quorum origo ex διφθερῶν, siue caprinarum ouillarumque pellium vsu, multis repetenda creditur. De hoc supra dictum, et simul monitum est, priscos homines non nisi id pellium latus, quod pilis natura carebat, ad scribendum aptasse, alterum, pilis quasi consitum, non item. Igitur in vna tantummodo earum parte quidquam scribere poterant; et valde dubium est, vtrum eiusmodi pelles conuolui, et quod in eis scriptum erat, diu propagari et posteris tradi potuerit. Inuenere posthac homines ingeniosi viam atque media, pilos ex altera parte deglubendi, et hanc itidem scripturae capiendae aptandi. Quod quo tempore, quaue occasione tentatum sit, non liquido constat. Sunt, qui rei periculum factum existiment, quo tempore Attalus Pergami bibliothecam instruere adgressus, papyrum Aegyptiacam hoc consilio emendam nancisci non posset, per Ptolemaei, bibliothecam Alexandrinam condere, et libris, quoscunque et vndecunque adipisci poterat, comparandis aut describendis locupletare auentis, inuidiam et legem, qua eiusmodi papyrum exportare vetabat. Cuius penuriam, et inde natam caritatem, aiunt, permouisse aetatis illius homines, aliis sagaciores, vt non solum vtramque pellium partem mundare, et scripturae capiendae idoneam reddere, sed etiam pelles satis paratas in plagulas quadratas dissecare, in harum auersa fronte non minus, quam in aduersa scribere, scriptarum et iusto ordine collocatarum oram sinistram filis consuere inchoarent. In quo, si res vere, quo perhibent modo, accidit, librorum nostrorum originem deprehendimus. Verum sunt alii, qui membranae pariter

ac

ac quadratorum librorum inuentum alii aetati, aliis hominibus tribuere malint. Quam litem recte veroque conuenienter dirimere non licet per testimoniorum fide dignorum defectum: hinc in ea cognoscenda vltra coniecturas, easdemque meras et inanes, reor progredi posse neminem. Quare ad locum, ab ERNESTIO τῷ πάνυ copiose tractatum, et ad criticen magis, quam ad τὸ *Antiquum* pertinentem, nihil amplius adiiciam, etsi de codicibus, quos *rescriptos* appellare solent, horum caussa et aetate probabili, detrimento etiam litteris optimis per eos illato, varia non adeo vulgaria, quae dicere possim, habeam. Fieri potest, vt alio et loco, et tempore, a me exponantur.

EXCVRSVS X
AD PART. II. CAP. II
DE INSCRIPTIONIBVS *).

Excursu antegresso monui, priscos homines ad saxa et marmora descendisse, si qua monimenta rerum, ad posteritatem pertinentium, in locis publicis collocanda erant ita, vt aeris, pluuiae, ventorum, tempestatum aliarum vis et impetus eis facile obesse possent. Neque tamen existimandum est, eiusmodi saxa vel marmora, vt primum hoc consilio vsurpari sunt coepta, ingeniose affabreque caesa esse, et litteris incisis, id, cuius memoriam propagare debebant, lectores docuisse. Sumebant potius principio communes et deformes, quos offendebant, lapides, et horum vel vnum, vel plures, erigebant, aut componebant ita, vt monimenti vim et naturam haberent (Gen. XXVIII. 18. ff; XXXI. 45; Ios. IIII. 8. 9. 20. ff; XXII. 10. 26. ff; XXIIII. 26. f.). Populi posthac cultiores et instrumentis necessariis instructi, e saxis rudibus, cippos, columnas, pilas, pyramides, obeliscos, aras, cet. caedere inchoarunt, ac locis satis conuenientibus, vt, vel sine titulis incisis, monimentorum loco essent, collocarunt. Inuenta tandem scri-

*) Hoc de loco varia satis exquisita, et nequaquam vulgaria, siue tralaticia, exposuit Juvenel de Carlencas in libro gallice scripto: Essais sur l'histoire des Belles Lettres, des Sciences, et des Arts. Tom. 2. p. 101. ff. quae cum iis, quae hic traduntur, recte et vtiliter comparare potest lector prudens, et plura discendi cupidus.

ſcribendi via et ratione, figuris vel litteris inciſis tum cauſſas, tum conſilium huiusmodi ſaxa collocandi, expoſuere. Quem morem tantum abeſt, vt ex Sethi inſtituto conſilioque deriuandum exiſtimem, vt potius ea, quae Ioſephus de duabus patriarchae, quem dixi, columnis memorauit (Antiq. Iud. l. I. c. 2. ſ. 3. p. 11. vol. I. opp. ed. Havercamp.), non niſi meris fabulis Iudaicis accenſenda contendam. Interim ille peruetuſtus eſt, ſi quidem auctoribus priſcis fides habenda. Nam Seſoſtris, rex Aegyptius, per regiones omnes, quarum populos ſubegerat, collocaſſe narratur (Herodot. l. II. ſect. 102. ſ. p. 150) ϛήλας, ſiue cippos, in eisque, qui manu ſtrenui, et libertatis amantes fortiter pugnaſſent, iuſta laude cohoneſtaſſe; qui timidi et imbelles fuiſſent, inciſis muliebribus genitalibus infamaſſe. Quin nonnullos huius generis cippos ſeſe vidiſſe teſtatur Herodotus (l. c. ſect. 106. p. 151): qui alio loco (l. VIII. ſect. 30. extr. p. 525) Xerxem, Graecis bellum illaturum, veniſſe memorat ad confinia Phrygum ac Lydorum, vbi cippus, a Croeſo defixus atque erectus litteris indicaſſet vtriusque populi fines. Quid? quod hic mos alios quoque populos fere barbaros haud fugit, auctore quidem Plinio, qui in Arabiae inſulis, Iſura, Rhinnea, et proxima, cuius nomen haud expreſſit, exſtare ait ſcriptas ſtelas (ϛήλας) lapideas, litteris incognitis (H. N. l. VI. c. 28. p. 337. vol. I. opp.): quod idem memorat de Aethiopiae inſulis, vltra Iſidis portus ſitis, iisque interioribus; in quarum altera itidem ſtelas lapideas litteris ignotis eſſe teſtatur (l. c. p. 342). Sed ignoti horum cipporum tituli nos minus tangunt, quam notiores eorum populorum, quorum res geſtas indagare et cognoſcere, noſtra magis intereſt. Itaque ad horum inſtituta progrediamur. Thucydides (Hiſt. l. V. ſect. 47. extr. p. 347) foedere inter plures Graeciae

 popu-

populos inito, ſimul conſtitutum eſſe perhibet, vt foederum, et iurisiurandi, et ſocietatis pacta in lapideo cippo inſcriberent: Athenienſes quidem, in arce; Argiui, in foro, in Apollinis templo; Mantinei, in Iouis templo, in foro: quin aeneum quoque cippum, communi ſumtu factum, ſtatuerent Olympiae, quem ſeſe adhuc reperiſſe teſtatur Pauſanias (Eliac. I. ſ. l. V. c. 12. extr. p. 407). Similes ϛήλας Athenis collocatas fuiſſe memoriae prodidit Aelianus (V. H. l. VI. c. 1.) πρὸς τῇ Βασιλείῳ ϛοᾷ, τὰ τῶν μισθώσεων ὑπομνήματα ἐχȣ́σας, elocationum monimenta continentes. Sed quid pluribus opus eſt auctorum veterum teſtimoniis, cum non ſolum tot titulorum', ſiue inſcriptionum, συγτάγματα, ſed etiam lapides ipſi cum maxime ſuperſtites, quaſi loquantur, et legum, decretorum, foederum, aliorum, verba ipſa ſuppeditent, adeoque viris rerum antiquarum amantibus, nomine plus vno prodeſſe poſſint ac ſoleant? Immortalis auctor, librorum, quibus huiusmodi tituli continentur, indicem ſatis copioſum dedit (Cap. hui. §. 4. 5. 6); quem compluribus aliis, poſt priorem libelli editionem vulgatis, adaugere poſſim, ſi libris, quotquot ſciam, et ipſe habeam, ambitioſe recenſendis, gloriolam quandam aucupari velim. Quare, his omiſſis, ad alia progredi placet. Nimirum Aegyptii, poſtquam lapides ad rerum monimenta vſurpare coeperant, Baſalten et Graniten potiſſimum legerunt, et incredibili immenſoque prorſus labore et patientia lapides tam duros conſilio ſuo aptarunt. Ex eis caeſi ſunt obeliſci et columnae plures, qui Romae adhuc reperiuntur (v. Chriſt. l. c. p. 74). Animalium figurae et litterae, ſi quidem tales ſint, in earum ſingulis inciſae, vel ſcalptae ſunt. Vnde profecto mirum eſt, quod de alio labore Aegyptiaco, ē marmore, alioue lapide candido, facto, et figuras hieroglyphicas,

phicas, easque caelatas ſiſtente, legere memini in commentatione Gallica *), quam Guattanius diuulgandam non male cenſuit (in Monumenti Antichi inediti, ovvero Notizie ſulle Antichità e belle Arti per il Febraro e Marzo dell' anno 1786, p. 9. ſſ.). De hieroglyphorum illorum ſignificatione nihil dico. Quamquam enim Caylus Illuſtriſſimus, et complures ipſius populares eruditi, in ea indaganda et exponenda plurimum operae et ſtudii poſuere, nec progreſſuum nihil hac in re feciſſe ſibi videntur: ego tamen in ea ſum haereſi, quae viros illos ingenioſiſſimos credit nihildum effeciſſe, nosque aenigmata iſthaec hodie aeque parum, ac quondam, perſpicere. Et haud ſcio, an operae pretium facturus ſit, qui ſcripturam adeo occultam recte veroque conuenienter extricatam et illuſtratam euulget. Graeci et Romani quae lapidum genera principio legerint ad cippos, aras, baſes et monimenta alia, priusquam litteras in eis incidere coeperant, non conſtat, nec indagare attinet. Hoc enim vel explorato ſcire, neque ad rerum olim geſtarum, vel inſtitutarum, neque ad τȣ *Antiqui* cognitionem conducit. Intellecto poſthac, res litteris perſcriptas, et in ſimilibus monimentis quaſi proditas, verius et certius, quam per vſitata monimenta litteris carentia, ad poſteritatem eſſe peruenturas: coeperunt ſi non vtrique, certe quidem Graeci, res commemorandas tabellis aeneis inſcalpere, hasque eiusmodi

 cippo,

*) Memoire (de M. le Duc de Chaulnes) ſur la veritable entrée du Monument Egyptien, qui ſe trouve à quatre lieues du Caire, auprès de Saccara, et qui a été conſacré par la ſuperſtition à la ſepulture des Animaux adorés pendant leur vie: MONVMENT DONT TOVS LES AVTEVRS, QVI ONT VOYAGÉ EN EGYPTE, ONT PARLÉ, QVOIQV' AVCVN NE L'AIT CONNV.

cippo, arae, cet. affigere. Cuiusmodi exempla quaedam supra iam indicata sunt; plura apud Pausaniam reperiuntur. Id quod Etrusci imitati videntur eo, quod litteras ex aere fusas, aliaue ratione paratas, in rebus, quas monimentorum loco volebant esse, insigerent, ac veluti clauos impingerent ita, vt reapse titulum conficerent. Cuius rei documento esse potest augusta illa in Vaticano ilex, e cuius titulo, aereis litteris Etruscis, arborem, iam ante Romam conditam, religione dignam fuisse, demonstrat Plinius (H. N. l. XVI. c. 44. p. 40. vol. II. opp.). Hanc Etruscam titulos exprimendi viam et rationem vel diu post sequuti sunt ii, quibus tam theatri Herculanensis, quam templi a Nemausiensibus in C. et L. Caesarum, principum iuuentutis *), honorem aedificati, inscriptiones parare, iustoque loco collocare, mandatum fuerat. Vtriusque litteras ex aere fusas, et in aliqua aedificii fronte impactas, ferruminandoque firmatas fuisse non ignorat, qui commentarios super vtroque scriptos perlegit. Prioris tituli, eiusdemque nec descripti ante, nec vna cum aedificii fronte, vt par erat, designati, litteras qui summa vi e muro effringi iusserit, illasque temere in fiscinam proiectas, prorsus confu-

*) Est in Albani, Patris purpurati Eminentissimi, villa, rerum antiquitus factarum locupletissima, statua, heroum more nuda, et tantum non ἰσόμετρος· quae, quoniam simillima est gemmae in Museo Florentino adseruatae, et, Gorio iudice, C. Caesarem, Agrippae et Iuliae filium primogenitum sistenti, hac de caussa existimatur huius ipsius C. Caesaris, Iuuentutis principis, simulacrum esse. Eam pictura lineari expressam diuulgauit Guattanius in Notizie sulle antichità e belle Arti di Roma, per il Febraro dell' anno 1786. Tab. II. p. XVI. Hac in coniectura si quid veri inest, simulacrum isthoc prorsus singulare vocari oportet.

confusas et perturbatas, ipsi Siculorum, et posthac Hispanorum regi monstrare, ac veluti rem egregie gestam iactare potuerit, memorauit Winkelmannus (Sendschreiben von den Herculanischen Entdeckungen, S. 19): posteriorem titulum credibile est, mediis iam, quae vocantur, saeculis per homines barbaros, et litterarum rudes, non sine violentia effractum esse, eiusque litteras aeneas ad vsus qualescunque alios adhibitas. Hinc per longum tempus non nisi foramina, quibus earum cuspides impactae, et plumbo liquefacto infixae fuerant, in vna aedificii quadrati fronte conspiciebantur, nec quisquam, num quid ex eis effici cogique posset, ne hariolando quidem, suspicatus est. Tandem vero Seguierius, Franco-gallus non minus eruditus et celeber, quam ingeniosus et laboris patiens, incredibili adhibito studio, et singulari animi sagacitate, ex hisce foraminibus, per lineas diversas iunctis, coniectura assequutus est, quae singulis impactae fuissent litterae, et quem titulum effecissent. Qua via et ratione in difficili hoc negotio ingeniose exsequendo versatus sit, ipse exposuit libello singulari, lectu dignissimo (Dissertation sur l'ancienne inscription de la maison carrée de Nismes, par M. Seguier, 1776). Qui vir ingeniosus quum vel sine litteris, ex meris ipsarum olim infixarum foraminibus, coniectura felici et perquam verisimili, titulum vetustum effecerit: ecquis est, qui non peruideat, fieri potuisse, vt vnus alterue Neapolitanus eruditus, simulque ingeniosus et laboris patiens, si aeneas, quas dixi, litteras, temere et inconsiderate effractas proiectasque, ad foramina adhuc conspicienda prudenter applicare, et huc, illuc, transferre voluisset, donec ipsarum cuspides singulis foraminibus et spatiis aptae essent, ipsaeque simul sensum suppeditarent probabilem, vt, inquam, eiusmodi vir ingeniosus

priſcum tandem demum titulum, ratione veriſimilli-ma efficeret, eoque Winkelmanni querelam ſatis vehementem aeque, ac iuſtam, redderet irritam? Sed haec ὡς ἐν παρόδῳ· et ad locum, vnde digreſſa eſt, mea reuertatur oratio. Nimirum Graeci, et horum imitatores, Romani, inchoarunt tandem in ipſis cippis, columnis, pilis, aris, cet. inſtitutorum, legum, foederum, rerum memorandarum verba incidere, atque hac via et ratione poſteris quaſi tradere. Quo conſilio non poterant adhibere lapides candidos, ne diuerſi et diſcrepantes aliorum colores legentibus impedimento forent. Ac principio quidem, dum Romana aeque, ac Graecae ciuitates facultatum et diuitiarum inopia laborabant, haud dubie lapides domeſticos et facile adipiſcendos ſumſerunt: Graeci forſitan eum, quem ipſos λίθον πώρινον vocaſſe, ſupra diximus; Romani ſaxum id, quod hodie *Peperino* vocant, et ex quo ipſa columna roſtrata, ſiue Duiliana, confecta memoratur. Verum vtriusque populi diuitiis inſigniter auctis et quaſi adfluentibus, marmora candida et alabaſtriten legerunt, et in tabellas, ex eis ſectas politasque, res memorandas incidi curarunt. Quod demonſtrant tot tituli vetuſti, in huiusmodi lapidibus adhuc legendi, vt rerum ſimilium non poſſit non prorſus ignarus eſſe, qui, quod dixi, negare, vel addubitare audeat. Tandem manus artificum ingenioſorum, et pulcri venuſtique ſenſu tactorum, hos ipſos cippos, baſes, aras, cet. pedetentim legibus architectonicis conuenienter caedere, ſummo ſtudio elaborare, variisque rerum diuerſarum figuris quam elegantiſſime atque ingenioſiſſime exornare coeperunt. Id quod, qui Boiſſardi Antiquitates, Monimenta Matthaeiana, Muſeum Capitolinum, Muſeum Pio-Clementinum, libros huius generis alios, non niſi leuiter attigit et inſpexit, latere poteſt neminem. Ve-

rum

rum praeter huiusmodi cippos, bases, aras, columnas, cet. venustate sua oculos suauiter ferientes, titulisque incisis commendabiles perutilesque, pararunt bases alias, non minus eleganter affabreque factas, in quibus Augustorum, Augustarum, philosophorum, oratorum, aliorum virorum principum protomas potissimum collocarent. Quae quoniam scripturam prae se ferunt nullam, non raro ex Iaspide, alioue plurium colorum lapide, vt caesae quondam sunt; ita hodieque caedi assolent: quod testantur omnes, quibus contigit, vt Romae aliisque Italiae locis thesauros, in quibus eiusmodi deliciae adseruantur, spectare recteque considerare possent. Quibus breuiter strictimque expositis, non nisi hoc vnum arbitror adiiciendum, optabile mihi videri, vt Iosephus Carcanius, Paschalis Celeberr. filius perquam eruditus, quod animo meditatur et molitur, consilium titulos, quotquot exstant, omnes colligendi et diuulgandi, feliciori successu, quam Muratorius, Donatus, alii, exsequatur; eoque facto, vir quispiam alius eruditus, improbique laboris patiens, Spanhemiano simile opus de vsu et praestantia titulorum veterum, adgredi, parique eruditione et studio conficere ne grauetur. Huiusmodi liber recte, prudenterque descriptus et elaboratus quantum vtilitatis vniuersae rei litterariae allaturus foret, dici vix potest.

EXCVRSVS XI
AD PART. II. CAP. III
DE
DIPLOMATIBVS.

Locus de Diplomatibus per ſe quidem longe vtiliſſimus eſt, et ad hiſtoriam recte et prudenter indagandam, addiſcendam, exponendam, maxime neceſſarius. Vnde vir quisque eruditus, qui aut tabulariis virorum principum, vel ciuitatum ſingularium praefectus eſt, aut alios hiſtoriam docere iuſſus, locum, de quo quaeritur, quam accuratiſſime atque ſtudioſiſſime exploret, neceſſe eſt, vt diplomata vera a falſis, genuina a ſuppoſiticiis, vetuſtiora à recentioribus, recte et vere diſcernere, verum cuique pretium ſtatuere, in cauſſis et litibus cognoſcendis atque dirimendis prudenter verſari, iuſtamque et ab omni partium ſtudio alienam ſententiam ex iis efficere et concludere poſſit. Huiusmodi cognitio, non niſi diuturno rerum vſu adipiſcenda, quam late pateat, et quantum momenti ad res cauſſasque ipſorum regum, principum, rerumpublicarum grauiſſimas habere ſoleat, norunt omnes, qui rerum vel noſtra aetate geſtarum non prorſus expertes ſunt et ignari. Itaque omni laude et commendatione digniſſimum eſt ſtudium eorum, qui in litterarum, quas vocant, vniuerſitatibus hanc diſciplinam recte, et vt par eſt, aut aliis quaſi inſtillando tradunt, aut ipſi diplomata conquirendo, comparando, et ſuper ſingulis meditando, cum commentariis promulgant. Namque hi, tali via

via et ratione condocefacti, et fatis exercitati, non folum in hiftoria perfequenda rectius et prudentius verfabuntur, fed etiam ciuitatibus, fiqua controuerfia fuper re fimili nafcatur, officium atque vtilitatem longe maximam praeftabunt. Quamuis autem difciplinam diplomaticam plurimi, vt par eft, faciam, et a litterarum optimarum ftudiofis non labris primoribus guftatam, fed quafi exhauftam velim: tamen fatis mirari nequeo, qui et CHRISTIVS, et ERNESTIVS, VV. CC. eam ad archaeologiam litterariam trahere, et in libellis, quisque fuo, de ea non nihil fcribere potuerit. Credo, viros incomparabiles aliquid fequutos: eius in primis fructum latiffime patentem, et non folum ad diplomata et hiftoriam, fed etiam ad Codd. MSCC. quodammodo pertinentem, ita vt horum aetatem et praeftantiam coniectura fatis probabili affequi poffimus. Interim quum ea neque ad antiquitates Gr. et Rom. intelligendas, neque ad τȣ *Antiqui* naturam et rationem videndam infigniter profit; copiofius de ea difputare non placet, fed libros tantum nonnullos indicare, quos, qui animum ad hanc difciplinam applicare conftituit, non fine fructu eximio verfaturum effe, opinor. Vnus conducit ad illius rationem, naturam et leges peruidendas: nimirum, *Artis diplomaticae primae lineae. In vfum auditorum duxit Ier. Iac. Oberlinus.* Argentorati 1788. Quem Viri Celeberr. et eruditiffimi libellum perexiguum quam maxime commendabilem reddit *Mantiffa Obferuationum Mifcellanearum*, et *Index auctorum* copiofiffimus. Duo alii non parum vtilitatis adferre poffunt ad veram diplomatum aetatem probabiliter difcernendam et diiudicandam: nimirum *Aftle's Effay on the Origin and Progrefs of Writing and Printing.* Londini 1784. forma 4. vna cum 33. tabb. aeneis; et *Io. Chryfoftomi Trombellii* libellus, lingua Italica

fcriptus

ſcriptus et inſcriptus: *Arte di conoſcere l'età de' Codici latini ed italiani*, quem in primis commendarunt *l'Efemeridi letterarie di Roma, per l'anno* 1788 No. XXV. p. 199.

EXCVRSVS XII

AD PART. II. CAP. IIII

DE RE NVMARIA.

Quemadmodum mercaturae facilius, rectius et quaeſtuoſius faciendae ſtudium ſi non reapſe peperit ſcribendi inſtitutum, magnam certe quidem vim habuit ad id perficiendum, et cum hominibus, eius adhuc ignaris, et quibuscum negotia contrahenda erant, communicandum magisque propagandum: ita hoc idem credibile eſt, varias ob cauſſas, et maioris potiſſimum commoditatis gratia, pecuniae cudendae viam et rationem ſuaſiſſe; cuius inuenti non minus, quam omnium reliquarum artium primordia, nec ingenium et intelligentiam ſingularem, nec manum ſatis artificem et exercitatam, prae ſe ferre potuiſſe, nemo non intelligat, neceſſe eſt. Donec enim res aliqua peragebatur inter vnius loci et agri ciues, aut ciuitatum finitimarum incolas, non opus fuit emtione, venditione, quae proprie dicitur, ſed permutatione tantum rerum, quibus alter abundabat, alter indigebat. Quae haud dubie prima fuit via et ratio, negotium quodpiam contrahendi, et res aut ſuperfluas quaſi exportandi, aut ad victum cultumque neceſſarias ac deficientes alibi comparandi. Huiusmodi rerum

rerum permutatarum exemplum apud Spartanos narrat Pausanias (Lacon. s. l. III. c. 12. p. 235. ed. Kühn.), apud Germanos Tacitus (de Mor. Germ. c. 5.), de Indis, idem Pausanias (l. c.) qui haec simul memoriae prodidit: *οἱ δὲ ἐς τὴν Ινδικὴν ἐσπλέοντες, φορτίων φασὶν Ελληνικῶν τοὺς Ινδοὺς ἀγώγιμα ἄλλα ἀνταλλάσσεσθαι, νόμισμα δὲ οὐκ ἐπίςασθαι, καὶ ταῦτα χρυσοῦ τε ἀφθόνου καὶ χαλκοῦ παρόντος σφίσι.* Quem ad locum pertinent, quae Otho Sperlingius (Dissert. de nummis non cusis tam veterum, quam recentiorum cap. 27. p. 174. it. c. 37. p. 258.) et Io. Georg. Wachterus (Archaeolog. nummariae, cap. I. et II. p. 3. 6.) de eiusmodi mercibus inuicem permutatis, disputarunt. Vnde Spartae *Βοώνητα* vocabatur Polydori, regis mortui, domus, quae bobus, pretii loco datis, vendita fuerat: alibi *ἁλώνητα* dicebantur mancipia, quae sale permutabantur apud Thraces. At enim vero huiusmodi rerum quasi venalium permutatio difficilior fieri, simulac superfluae alterutrius res, vel loco moueri, exportarique ex hoc loco in alterum non poterant, vt, aedes, agri, cet. vel exportatae, in itinere diuturno, siue terrestre esset, siue maritimum, facile corrumpebantur, adeoque emtores non offendebant cupidos, sed perquam difficiles ac morosos, qui res suas sibi seruare, quam venditoris vitiosas et deprauatas sumere malebant. Simile mercaturae vtiliter fructuoseque faciendae impedimentum vt de medio tolleretur, breui post diluuium Noachiticum coepere homines metalla tam nobiliora, vt, aurum, argentum, quam ignobiliora, vt, aes, ferrum, cet. in mercatura facienda adhibere, et cum huiusmodi metallis, constituto singulorum pondere, magnitudine, valore, res suas superfluas, nec necessarias permutare, vel hac ratione vendere (v. Sperling. l. c. c. 2. p. 13. et

Wach-

Wachter. ib. c. III. p. 18. ff.). Huius instituti auctores vnde metalla, nobiliora potissimum, initio acceperint, et cur ab antiquissimis iam temporibus pretium eminens eis tribuerint emtores non minus, quam venditores, non est, cur hoc tempore curiosius indagemus, indagatum exponamus. Id reapse accidisse, testantur scriptores et sacri, et profani (v. Herodot. l. IV. sect. 196). Verum metalla isthaec, principio quidem, fuere non nisi globuli, vel obeli, vel taleae, vel laminae lamellaeue, malleo percussae, attenuatae et in particulas maiores, minores, sectae, nec signis, symbolis, vel impressis rerum qualiumcunque figuris signatae. Erant adeoque numi *ἄσημοι*, vel eiusmodi *νομίσματα*, quae in contrahendo quocunque negotio appendi oportebat. Id demonstrat Sperlingius (l. c. p. 17.), qui Aristotelis, de numo, eiusque initiis loquentis, verba haec adfert: *ὅτι τὸ μὲν πρῶτον ἁπλῶς ὁρισθὲν μεγέθει καὶ σταθμῷ*, i. e. primo quidem omnem numismatis valorem, eius magnitudine et pondere definitum esse. Quod tuetur etiam Wachterus (l. c. c. 3. p. 18. et in primis p. 26. f.). Interim ad credendum facile est, homines emendi cupidos, in eiusmodi globulis, obelis vel lamellis, nota qualicunque singulorum pondus et pretium significasse, vt, vel antequam appenderentur, ipsi eorum valorem nossent. Cuiusmodi notae, vel signa, vt ex libero cuiusque mercatoris seu foeneratoris arbitrio quasi emanabant, publica vero ciuitatis vel magistratuum auctoritate carebant; ita pecuniam propriam veramque nullo modo efficere, nec numi, simili hominum priuatorum nota signati, iure quodam suo *ἐπίσημοι* vocari potuerunt. Atque in eiusmodi globulis lamellisue, si qui superessent, veterrimae simplicitatis pecuniam, quam *pensilem* vulgo, sed minus latine, vocant, cerneremus. Cuius

inopiam

inopiam et interitum non est, quod vehementer deploremus: quoniam, si a metalli, nobis satis cogniti, natura discedas, nulla nec intelligentia, nec arte singulari et exquisita, sese probare posset. Eius rationem perquam rudem et simplicem videre licet in numis, apud Sinenses, Abessinos et Iapanenses hodieque vsurpari suetis: de quibus, quantum satis esse potest, disputauit Sperlingius, quem saepe iam diximus (l. c. p. 267. ss.). Postremorum tamen numos, nuperrime diligentius et curatius descriptos, tabulisque aeneis incisos, quasi coram intueri ac considerare possumus in singulari commentario, super eis scripto, quem debemus Carolo Petro Thunberg, Sueciae litteratae ornamento eximio, qui istum lingua vernacula expressum, Regiae Academiae Scientiarum Holmiensis sociis celeberrimis A. 1779. recitauit: quem inclyta haec Virorum eruditissimorum societas, propter insignem rei, quam dicendo persequitur, nouitatem vtilitatemque, eo ipso anno, typis describendum curauit, quemque, ex Suecico idiomate Germanice conuersum, A. 1784. Stendaliae in lucem publicam exire iussit I. T. Pyl, M. D. Celeberr. atque Experientiss. Quos verbis planis ac perspicuis descripsit numos Iapanensium Thunbergius V. Celeberr. eos octo tabulae aeneae, in quas ipsorum figurae sunt incisae, ob lectorum oculos ponunt ita, vt non solum eorum rationem et simplicitatem, sed etiam omnis omnino veterrimae pecuniae naturam ex iis suspicari possis. Figurarum enim informium lineae, in ipsis conspiciundae, siue stilo acuto insculptae sint, siue malleo cusae, produnt ingenium tam sterile, et manum adeo rudem, vt initia artis numariae, cuiuscunque demum hominis aut populi sit, in his plane peruideas. Quemadmodum enim artificii omnino omnis primordia, et quasi effecta, plane simplicia fuerunt, omnis-

omnisque elegantiae et venuſtatis expertia, quod tum horum reliquiae ſuperſtites, tum auctorum priſcorum teſtimonia ſatis comprobant: ita numariae quoque artis initia non poſſunt non prorſus rudia et inepta exſtitiſſe, ab omni elegantia et veneribus longe remotiſſima, adeoque penitus caruiſſe intelligentia et perfectione ea, quam in compluribus Graecorum numis obſeruamus et demiramur. Interim Iapanenſes huiusmodi numos, quamuis imperfectos et rudes, hodie non minus, quam antiquitus, in rebus vendendis, emendis, nominibus ſoluendis, vſurpare teſtatur Thunbergius Celeberr. Ea autem, quam dixi, quamque in numorum non ita pridem vulgatorum figuris ſpectamus, metallorum globulos, obelos, lamellas et taleas, qualicunque vel ponderis, vel valoris, vel denique puritatis nota ſignandi conſuetudo, a privatis inchoata hominibus, haud dubie a pluribus pedetentim adoptata eſt: eademque apud alios diutius ſeruata et continuata, apud alios citius neglecta, et intermiſſa, opportunitatem ſuppeditaſſe videtur, metalli nobilioris particulas ſigno aliquo, auctoritate publica impreſſo notandi, eodemque ſingularum γνησιότητα, pondus, et verum valorem publice teſtificandi. Quo fieri coepto, ad pecuniam, quae proprie dicitur, tandem eſt peruentum. Huius cudendae et auctoritate publica quaſi muniendae, qui populus, vel rex, aliusue homo opibus et auctoritate pollens, princeps auctor et ſuaſor exſtiterit, nondum liquido conſtat: quamuis Graecorum ſcriptorum non pauci *Phidonem*, Argiuum, rem ſi non reapſe feciſſe, certe quidem ſuaſiſſe, perhibeant. Aeliano enim auctore, quem ERNESTI ὁ μακαρίτης nominauit, populus Aegineticus omnium primus initium fecit numorum feriendorum: nam, καὶ πρῶτοι, inquit, νόμισμα ἐκόψαντο, ſc. Αἰγινῆται, καὶ ἐξ αὐτῶν ἐκλήθη νομι-

νόμισμα Αἰγιναῖον. Et habebant profecto cauſſam longe grauiſſimam, cur id facerent. Ipſi enim, inſulae prorſus ſterilis infructuoſaeque cultores, vt nanciſcerentur, vnde viuerent, nauigationi et mercaturae non poterant non dare operam, et neceſſaria vitae tuendae praeſidia, ab aliis populis petenda, in patriam importare. Quae quum mercium aliarum, quas habebant nullas, permutatione adipiſci haud poſſent, ſed ſingula metallo nobiliori, argento potiſſimum, cuius venas longe ditiſſimas occultabat inſula, comparare deberent: dura ſane neceſſitas eos iam adducere potuit (v. Ariſtotel. de Rep. l. I. c. 6. cuius verba, latine verſa, dedit Wachter. l. c. p. 28. vna cum loco alio Paulli ICti, L. I. §. de contrah. empt.), vt argenteos globulos, obelos, lamellas, aliasque particulas minores, *κέρματα* vel *κόμματα*, ſigno quodam, auctoritate publica impreſſo, notarent, eoque illis publicam quaſi fidem conciliarent. Sed ſunt ſcriptores, quod iam dixi, complures Graeci, vetuſtiores aeque ac recentiores, qui *Phidonem Argiuum* ſcribant, numos omnium primos percuſſiſſe. Inuentum, de quo quaeritur, ei attribuit Marmor Arundelianum, ſeu Oxonienſe, quod alii Smyrnaeum, alii Parium vocant, cuius verſu 45. et ſequenti (p. m. 158.) memoratum exſtat

ΑΦΟΤΦ - - ΔΩΝΟΑΡΓΕΙΟΣΕΔΗΜΕΤΣ - - ΝΕ - - - - - -
ΕΣΚΕΤΑΣΕΚΑΙΝΟΜΙΣΜΛΑΡΓΤΡΟΤΝΕΝΑΙΓΙΝΗΙΕΠΟΙΗΣΕΝ
κ. τ. λ.

Quae verba, in commentario ſubiecto, partim ſuppleri, partim legi iubentur hoc modo: *ἀφ᾽ οὗ Φείδων ὁ Αργεῖος ἐδημοσίευσεν ἐν Αργει, καὶ μέτρα καὶ ςάθμα ἐσκέυασε, καὶ νόμισμα ἀργυροῦν ἐν Αἰγίνῃ ἐποίησεν, κ. τ. λ.* Haec marmor, vetuſtate ſua venerandum: cui adſtipulatur Strabo (Geogr. l. VIII.

 p. 549.

p. 549. ed. Almeloveen) qui — — Φείδωνα τὸν Ἀργεῖον, ait, δέκατον μὲν — — δυνάμει δ' ὑπερβεβλημένον τοὺς κατ' αὐτὸν — — καὶ μέτρα ἐξεῦρε, τὰ Φειδώνεια καλούμενα, καὶ σταθμοὺς, καὶ νόμισμα κεχαραγμένον τό, τε ἄλλο, καὶ τὸ ἀργυροῦν, κ. τ. λ. Idem confirmat quoque Ephori teſtimonium, quod Graecus, quem dixi, geographus ab interitu quaſi ſeruauit (Geogr. l. VIII. p. 577): Ἔφορος δὲ ἐν Αἰγίνῃ ἄργυρον πρῶτον κοπῆναί φησιν ὑπὸ Φείδωνος. Ἐμπορεῖον γὰρ γενέσθαι διὰ τὴν λυπρότητα τῆς χώρας, τῶν ἀνθρώπων θαλαττουργούντων ἐμπορικῶς. Neque aduerſatur Iul. Pollux, niſi quod plures huius inuenti auctores ſimul recenſet (Onomaſt. l. VIIII. cap. 6. ſegm. 83. p. 1062.) εἴτε Φείδων πρῶτος ὁ Ἀργεῖος ἔγραψε νόμισμα, εἴτε Δημοδίκη ἡ Κυμαία συνοικήσασα Μίδα τῷ Φρυγὶ, — — εἴτε Ἀθηναίοις Ἐριχθόνιος, καὶ Λύκος, εἴτε Λυδοὶ καθά φησι Ξενοφάνης, εἴτε Νάξιοι, κατὰ τὴν Ἀγλωσθένους δόξαν. Locum hunc transſcripſimus ita, vt Hemſterhuis ὁ πάνυ eum emendauit, cuius notae ſimul legendae ſunt. Quod Xenophanes Lydis attribuiſſe hoc loco dicitur, id Herodotum quoque, ſed valde dubitanter, feciſſe conſtat: qui (lib. I. ſect. 94. p. 48. ed. Weſſeling.) πρῶτοι δὲ ἀνθρώπων, inquit, τῶν ἡμεῖς ἴδμεν, νόμισμα χρυσοῦ καὶ ἀργύρου κοψάμενοι ἐχρήσαντο. Tandem marmoris, quod dixi, Strabonis, aliorum ſcriptorum ſententiae, ſecundum Phidonem dictae, ſubſcribit etiam Euſtathius in Commentar. ad Ιλ. Β. cuius verba, a Scheffero ad Aeliani locum, a b. A. indicatum, iamdudum prolata transſcribere nolumus, hoc vno obſeruato, quod antiſtes Theſſalonicenſis, qui alio dixit loco: ἐκόπη — — ἀργύριον πρῶτον ὑπὸ Φειδίου κ. τ. λ. alio ſcripſerit: ἐπειδὴ Φείδων, Ἀργείων βασιλεὺς — — πρῶτος ἔκοψε χρυσοῦν νόμισμα. Vocabulum Φειδίου in mendo

mendo cubare, necesse est: Phidias enim nuspiam memoratur numos percussisse. Hoc idem Schefferus, eodem loco, contendit affirmari a Pindari scholiaste antiquo: minus vere, si quidem ipsa, ad quae respicit, verba offendere mihi contigit: namque ad Olymp. od. XIII. p. m. 112. reperio haec: φησὶ δὲ ταῦτα, nimirum poeta, ἐπειδὴ Φείδων τὶς Κορίνθιος ἀνὴρ εὗρε μέτρα καὶ σάθμια. καὶ ἄλλα πολλὰ λέγοντας εὑρηκέναι οἱ Κορίνθιοι· ac breui post, p. 113. memorato complurium inuentorum numero, subiungitur: διατὶ δὲ ἵππεια αὐτὰ εἶπεν; ὅτι Φείδων ὁ πρῶτος κόψας Κορινθίοις τὸ μέτρον, Αργεῖος ἦν· τὸ δὲ Αργος, ἵππειον λέγουσιν οἱ ποιηταὶ, κ.τ.λ. Quibus in verbis equidem nihil argumenti video, quod Phidonem pecuniae, auctoritate publica signatae, auctorem et suasorem fuisse demonstret. Sed haec vrgere, et ad viuum resecare non placet: sunt enim verba scriptoris recentioris, quem vel ipsum, vel librarium in eis describendis, lapsum esse credibile est. Rei cardo, quod aiunt, in eo potissimum vertitur, quo pacto sententia Aeliani, nonnihil diuersa a narratione tum Strabonis, vel potius Ephori, tum auctoris ἀνωνύμου, cui marmoris scriptura debetur, inter sese conciliari queat: siquidem ille Aeginetas ait primos fuisse, a quibus numi sint cusi; hi vero Phidonem perhibent, praeter inuenta et sancita mensurae et ponderis genera, primum numum argenteum in Aegina percussisse. Phidon, si Aeginensium rex fuisset, iure quodam suo, tam mensurarum et ponderum, quam pecuniae publice signandae leges in ipsorum ciuitate ferre ac perferre potuisset; eoque facto, recte et vere Aeginetae non minus omnium primi numos argenteos, Phidonis scilicet iussu, quam Phidon primus νόμισμα ἀργυροῦν in Aegina, per Aeginetas nimirum sibi obtemperantes, feriisse diceretur. Verum quum

 hic

hic Argiuorum rex eſſet, eorum non item, qui fieri potuit, vt in ciuitate peregrina, libera, ſuoque imperio haud ſubiecta, de menſurae, ponderum et numorum ratione ac conditione leges ſanciret, eiusque ciuibus has obſeruandas quaſi obtruderet? Haec diſcrepantia, opinor, non inepte tolli, vel conciliari poteſt ab eo, qui inſulanos, de quibus quaeritur, meminit ſolum ſterile, lapidoſum, infructuoſumque habitaſſe, et commeatum, ad vitam tuendam neceſſarium, fere omnem, aliis in prouinciis conquirere, argento ſuo, telluris e venis effoſſo, coemere, et domum ſubuehere debuiſſe. Quem ſi non omnem, maximam tamen illius partem, ex oppidis et agris, ad Phidonis quidem regnum Argiuum pertinentibus, ſed ſibi quam proximis, petere conſuerant Aeginetae; Argiuorum rex, quem diximus, opibus praepotens, ideoque iuſto imperioſior, quem Herodotus (l. VI. ſect. 127. p. m. 427.) ſcribit ὑβϱίσαι μέγιϛα δὴ Ελλήνων ἁπάντων, i. e. longe omnium Graecorum inſolentiſſimum fuiſſe, et Pauſanias (l. VI. cap. 22. p. m. 509.) τυϱάννων τῶν ἐν Ελλησι μάλιϛα ὑβϱίσαντα, teſtatur: hic, inquam, rex, talis quum eſſet, animum facile inducere potuit, vt populo finitimo, ſuisque e prouinciis maxime neceſſaria victus cultusque praeſidia petere ſueto, de menſurae, ponderum et numorum ratione ac conditione quaſi leges quasdam praeſcriberet, easdemque in emtione, venditione, ac negotio qualicunque; cum ciuibus ſuis contrahendo, migrare vetaret, ac, ſi refragari vellent, eos aditu et commercio cum ſuis prorſus excluderet. Cuiusmodi legi, ſiue aequa eſſet, ſiue iniqua, ſi Aeginenſes obtemperandum eſſe cernebant, metu, ne ab omni cum eius ciuibus commercio excluſi, annonaeque inopia preſſi, rebus ad victum quotidianum neceſſariis priuarentur; vel commeatum omnem, non niſi

nisi maiore pretio, et maiore cum periculo, ex oppidis vel agris multo remotioribus petere, et in patriam deuehere deberent: facere non poterant, quin praeter introductas mensuras tales et talia pondera, quales et qualia rex ferox et impotens, satis pro imperio, constituerat, argenteos etiam globulos, obelos, et lamellas, vt iussi erant, nota quadam, fidem et auctoritatem publicam testificante, signarent. Quo facto, Aeginetae vere dici poterant, *πρῶτοι νόμισμα κόψασθαι*, i. e. numum publicae fidei et auctoritatis signo percussisse, si non iussu, certe quidem hortatu suasuque Phidonis; Phidon autem *ἐν Αιγίνῃ ἄργυρον πρῶτος κοπεῖν*, et *νόμισμα κεχαράξαι τό, τε ἄλλο, καὶ τὸ ἀργυροῦν*, quoniam Aeginetis, vt id facerent, opibus praepollens praeceperat. In quo etiam, nisi magnopere fallor, quaerenda est caussa, cur Graecorum reliquorum numos, mensuras et pondera multum superasse dicuntur Aeginetarum numi, pondera et mensurae. Credibile enim est, eos rationem et normam, veluti legem sibi praescriptam, migrare non ausos esse, Phidoni vt placerent, quos parabant numos, mensuras, pondera. Sed vtcunque haec aut reapse sint, aut existimentur, mihi multis de caussis perinde est: in rebus enim tam vetustis, tanta antiquitatis caligine inuolutis, nulloque rerum, olim gestarum, monimento plenius patefactis et posteritati traditis, qui verum liquido explorare et demonstrare possit, reor fore neminem. Quum interea Phidon, Argiuus ille rex, Lydiato quidem iudice (v. eius Commentar. in marm. Arundel. p. m. 41.) annos 920, et quod excurrit, ante Christum natum vixerit, Wachterus autem (l. c. p. 33), Seldeni rationes et auctoritatem sequutus, regem, quem saepe iam diximus, anno A. C. N. 895. numum argenteum in Aegina, insula, percussisse scribat, trecentos fere annos ante, quam

 Alyattes,

Alyattes, Lydorum rex, ciuitatem administraret, cuius post mortem ipsius populares numos aureos et argenteos habuisse narrat Herodotus; et quum non nisi aliquamdiu post, Darius apud Persas, numos Daricos, ex auro quidem purissimo, et eius praeses Aegyptiacus, Aryandes, in Aegypto, argenteos ex argento itidem purissimo, rege tamen prorsus inscio et inuito, percussisse memoretur (Herod. l. IV. sect. 166. p. 355. conf. Boden progr. de Daricis): lector quisque, me vel non monente, videat, necesse est, numos in Aegina, Phidone siue iubente, siue suadente, signo quodam, tamquam fidei et auctoritatis publicae nota, primum signatos, pro pecunia omnium antiquissima habendos esse; qualecunque demum signum isthoc fuerit, et quodcunque instrumentum ad id in globulo, seu lamella argentea imprimendum, stilumne acutum, quem Pollucis vocabulum, γράφειν, vti Strabonis, χαράττειν requirit, an cuneum, forcipem et malleum, instrumenta ad τὸ κόπτειν, quod Geographus Graecus itidem vsurpat, necessaria adhibuerint. Quisque pro se decernat quaestionem, difficilem quidem illam et spinosam, sed cuius ex solutione vel definitione, vtilitatis nihil ad reliquas litteras redundare potest. Hoc vnum reor me affirmare posse, primos illos numos aeque, ac reliqua artificiose facta omnia, vel potius prima pericula, singularem nec intelligentiam ingeniique vim, nec manuum satis exercitatam et artificem prae se ferre potuisse. Signum illud, si forte instrumento quodam acuto insculptum erat, faciebat sine dubio, vt numi tum cusi Sinensibus, vel Iapanensibus similes essent: sin impressum cuneo et malleo, is primum excogitatus et paratus non poterat non valde rudis esse, notamque satis deformem (huiusmodi videmus in nullo non numo veterrimo) eamque in vna tantum numi fronte expri-

exprimere. Sed hac de quaestione satis disputatum arbitror. — Scriptis iam, quae de Phidone supra leguntur, accepi nouam *Chronici Parii* editionem, hoc ipso anno curatam a Carolo Francisco Christiano Wagnero, V. A. in qua (p. 10.) vocabulum illud mutilum, quod in exemplo meo est ΕΔΗΜΕΥΣ - - - legique ἐδημοσίευσεν, et verti iubetur, *regnum sibi vindicauit atque administrauit* (v. nott. historicae ad hoc marmor p. m. 195.) vidi editum esse ἐδημ(εύθη, et latine versum, *Phidon proscriptus fuit*. Sequitur editor, quem dixi, eruditissimus recentissimam *Chandleri* lectionem. Sed hanc coniecturam credo priori vix anteferri posse. Primum enim nescio, an τὸ δημεύεσθαι, quod de *bonis vel agris publicatis* vsurpatum inuenio, de *hominibus proscriptis* itidem recte dicatur. Porro Argiui non Phidonem solum, sed omnes Temeni posteros regno deposuerunt, et sine dubio proscriptos exulare iusserunt. Quod si verum est, cur horum non meminit Chronici auctor? Tandem editores antegressi in versu, mutilum vocabulum continente, post N aliud E exstare viderunt, quod postremus plane neglexit. Haec faciunt, vt posteriorem priori anteponere dubitem lectionem. Sed rem hoc loco ad viuum resecare vetant caussae complures.

EXCVRSVS XIII
AD PARTIS II. CAP. IIII
DE RE NVMARIA.

Exeunte ſuperiori faeculo, et ineunte hoc, quod itidem magis magisque inclinat, viri exſtitere doctiſſimi, reique numariae ſcientia excellentiſſimi, qui, praeterquam quod Phidonem, Argiuum, tuebantur primos in Aegina numos argenteos cuſiſſe, contenderent etiam, eorum vnum hodieque ſuperare, et in gaza numaria Berolinenſi adſeruari. Huic qui tum praeerat, Laurentius Begerus, vir ſummus, eum in Theſauro Brandenburgico (Tom. I. p. 279.) promulgauit, aeri inciſum, ſed orbe multum maiori, quam reuera eſſe dicunt alii, quibus eius ſpectandi et contemplandi opportunitas haud defuit. In commentario, eius cauſſa ſcripto, multis verbis vincere adgreſſus eſt vir inclytus, numum hunc reapſe e Phidonis officina prodiiſſe, adeoque certum et eximium theſauri, quem diximus, κειμήλιον eſſe. Quam ſententiam quoniam Otho Sperlingius, (l. c. p. 11. et alibi) et illuſtris Spanhemius, rei numariae ſcientia in primis excellens (De praeſt. et vſu Num. Antt. T. I. p. 20.) impugnabant: Begeri nepos et ſucceſſor, Io. Carolus Schottus, ſuo ne deeſſe videretur officio, aduerſarios non ſpernendos refellere, et pro ſententia Begeriana, tamquam pro aris et focis, pugnare voluit (Miſcell. Berolinenſ. T. I. p. 33. 59). Neque Wachterus (l. c. p. 38. ſ.) ab huius partibus ſtare dubitauit. Eodem fere tempore alii numum aliquem Amyntae, Macedonum regis (Spanhem. l. c. p. 17. et alibi); Harduinus tandem, in Cyrenaicis numum eum, qui ΔΑΜΩ-

ΔΑΜΩΝΑΚΤΟΣ nomen in fronte gerit, omnium, quotquot hodie superſunt, veterrimum eſſe contendit (Memoir. de Trevoux, Aout, 1727. p. 1444. conf. Bimard Remarques ſur la ſcience de Medailles du P. Jobert, T. I. p. 26. ſſ. qui hac de contentione plura tradit). Qui viri eruditi, ac de re numaria optime promeriti, rectius profecto et conſideratius in hac quaeſtione examinanda et dirimenda verſati eſſent, ſi non ſola nomina, in numis, quos dixi, caelata ſpectaſſent, ſententiaeque ſuae argumentum primum ac princeps inde ſumſiſſent, ſed, quod par erat, reliquarum quoque rerum, quae ad numi cuiuſpiam αὐϑεντίαν, veramque aetatem deſignandam neceſſariae ſunt, rationem habuiſſent. At enim vero iſti, Phidonis, Amyntae, Demonactis nomine in altera numi fronte expreſſo, temere abrepti, ſusque deque habuerunt eas quaſi leges; et certis enuntiatis, ſeu axiomatis numariis (ſic fari liceat) prorſus poſthabitis, temere et inconſiderate ſententiam ſuam dixerunt, et argumentis non niſi leuibus, ſummum, chronologicis, confirmare anniſi ſunt. Qua in quaeſtione exigenda et decernenda, praeterquam alia, hoc ipſos fugit, virorum olim celebrium, et de ciuitatibus optime meritorum nomina, vna cum cuiusque facie, ſiue vera, ſiue imaginaria, frequenter expreſſa eſſe in numis, quarto, quinto, et quod excurrit, ſaeculo poſt eorum obitum percuſſis: id quod ignorare non poteſt, qui Romanorum numos, quos Conſulares vocant, examinauit. Atqui hoc idem in eis, quos paullo ante dixi, numis, et nominibus, quae in illis leguntur, accidiſſe, per ſe iam credibile eſt. Accedunt cauſſae aliae, eaedemque grauiores, quibus eorum nullum pro antiquiſſimo habere vetamur. Nimirum vultus, ſi quis in vno cernitur, litterarum et has ſcribendi, ac reliquarum in eis expreſſarum

rerum ratio et forma, plus ingenii manumque exercitatiorem produnt, quam significare poterant, qui prima numos feriendi pericula facere adgrediebantur. Quod de Phidoniano in primis dicendum videtur. Quae quum ita sint, tota illa super numi cuiuspiam antiquitate concertatio fuit inconsiderata et temeraria: virique, quos dixi, eruditi non nisi andabatarum more pugnarunt. Exstitere post eos duumuiri alii, multo prudentiores ac sollertiores, qui viam tutiorem certioremque hac in quaestione versandi viderent, monstrarent, ac commendarent hominibus, priscae rei numariae studiosis. Quorum alter est Vir Celeberr. Bartholomaeus, Abbas Franco-gallus, et bibliothecae regiae praefectus, eruditissimus et elegantissimus auctor libri anno superiore promulgati, quem Nouum Anacharsis Secundi, seu iunioris, iter per Graeciam factum inscripsit, ac quo rerum Graecarum statum faciemque ingeniose non minus, quam graphice, et ornatissimo dicendi genere persequutus est. Hic ante complures iam annos, Commentarium ingeniose eruditeque scriptum in Parisina Inscriptionum Artiumque ingeniosarum, quas vulgo *Bellas* appellant *litteras*, Academia recitauit, quem, propter exquisitam eruditionem in eo demonstratam, et certissimos fructus, inde ad rem numariam redundantes, nomine Palaeographiae numariae inscriptum, vna cum aliis Societatis illius litterariae commentariis diuulgari iusserunt viri, huic negotio curando praefecti (Memoires de l'Acad. des Inscr. et de Belles-Lettres, Tom. XXIIII). Alter est Ludouicus Dutens, V. Celeberr. et tam philosophiae aliarumque litterarum, ad philosophiam et humanitatem politiorem pertinentium, quam priscae rei numariae peritissimus, qui telam ab illo inchoatam, quasi pertexuit scripto et promulgato libro, *Explication de quelques médailles Grècques*

Grecques et Phéniciennes, avec une Paléographie numismatique, cuius editio altera Londini 1786 in lucem exiit. Quorum duumuirorum prior quum in Palaeographiae numariae specimine, quod ante dixi, non nisi fabricandi rationem, i. e. numi cuiusque manum artificem, in vtraque fronte apparentem, eius intelligentiam vel ruditatem, elegantiam vel simplicitatem, pulcri venustique studium vel negligentiam, spectare et recte contemplari iusserit vnumquemque numi sibi traditi, vel obuenientis, iudicem cautum et prudentem, neglecta vel posthabita tituli in eo exstantis ratione, et litterarum, quibus est scriptus, figura, simplicitate, collocatione; posterior vidit, simili in quaestione et quasi iudicio, litterarum etiam rationem habendam esse, ideoque recte et prudenter contendit, probe simul examinandum, earumne figura rudior sit et simplicior, an elegantior? infantiamne scribendi sapiat, an virilem et perfectam aetatem? a dextrane sinistrorsum collocatae sint, an βουστροφηδὸν, vel, more nostro, a sinistris dextram versus procedant litterae? (v. Dutens l. c. p. 158. s.). Ac simile quidem consilium ante iam dederat Winkelmannus noster (Hist. Art. p. 213. 215), quod hunc scriptorem latuisse videtur. Sed vtcunque hoc sit, ex eo certe, quod de duplici hac veluti lege breuiter strictimque dixi, satis et plane apparet, in ea Lydium quasi lapidem numi cuiusque recte ac vere exigendi suppeditatum esse; et qui decretum, quod vterque sciuit, ingeniose cauteque sequatur, nec reliqua numorum γνησιότητα dignoscendi praesidia ignoret, vel temere et inconsiderate despiciat, eum numi cuiusque sibi oblati veram rationem et antiquitatem coniectura certe probabili assequuturum. Iam si numos, de quibus quaesitum esse supra dixi, cum duplici hoc, quod exposui, decreto, eodemque verissimo, et rei naturae conue-

conuenientiſſimo comparare, et ad id, veluti regulam aliquam, exigere volueris, nullum eorum, ſimulac conſpexeris, omnium antiquiſſimum eſſe poſſe, affirmatum ibis. Rerum in duplici cuiusque fronte effictarum forma elegantior, atque litterarum, qui titulos efficiunt, ratio, venuſtas et collocatio te adducent, vt ſecus ſtatuere nequeas. Hinc in duumvirûm, quos dixi, ſententiam iam abierunt nonnulli viri eruditi, rei numariae ſcientia Celeberrimi, vt, Generoſiſſimus de Schachmann, Eckhelius, Neumannus, alii, qui numos antiquos ex aliquo tempore promulgarunt, nec temere in Harduini, Begeri, Wachteri, aliusue magiſtri verba iurarunt. Vnde et ego, data hac opportunitate, binas illas leges et regulas paene aureas, cuiuis viro, et tironi potiſſimum, priſcae rei numariae amanti et ſtudioſo, quantum poſſum et par eſt, commendo et inculco. Quid? quod qualicunque mea ſententia optabile eſt, vt homo quidam eruditus, linguae Franco-gallicae bene gnarus, vtrumque librum, rariorem quidem illum, ſed ad numos antiquos recte et vere diiudicandos perutilem, quin maxime neceſſarium, latine vertere, verſum cum viris eruditis communicare velit, vt multo plures eum diurna nocturnaque manu verſare, et, quantum fieri poteſt, vtilitatis ex eo capere poſſint.

EX-

EXCVRSVS XIV

AD IDEM CAPVT

DE NVMIS.

Antiquorum numorum praeſtantiam et vtilitatem inſignem, eandemque latiſſime patentem, nemo, reor, in dubium reuocabit, qui aureum Ezech. Spanhemii opus perlegit. Quod qui recte, et iuſta, qua decet, animi contentione fecit, is intellexerit, oportet, commoda et plurima, et maxima, inde ad hiſtoriam et chronologiam, ad grammaticam et criticen, geographiam, ritus ſolennes, antiquitates, quin artes alias, redundare. Cui vero haud contingit, vt, quod dixi, opus carius aeque, ac rarius, manu diurna nocturnaque verſare queat; is profecto, quam verum ſit, quod affirmo, perſpicere poteſt ex operis huius eximii quaſi compendio, quod Pl. Rev. P. *Froelichius* tironum in vſum confecit, et ſub nomine ficticio *Debiel* vulgauit: plenius ac luculentius ex eiusdem viri, rei numariae antiquae peritiſſimi, libro, quem Notitia elementaris numismatum antiquorum illorum, quae vrbium liberarum, Regum ac Principum, cet. appellantur, inſcriptum, Vindobonae 1758. cum tabb. aeneis publici iuris fecit. Quare de tot tantisque numorum antiquorum emolumentis copioſius disputare, prorſus ſuperuacaneum eſſe opinor. Eſt, quod ERNESTIVS immortalis vidit, et *ὡς ἐν παρόδῳ* monuit (§. 15. p. 53.) eorum vſus alius: qui nimirum pertinet ad iudicium artis et elegantiae in figuris perſonarum ac rerum, ad artem pictoriam, praeſertim linearem, et architecturam, propter artifi-

artificium exquisitum, quod in figuris, et qua picturam linearem, et qua elaborationem, temporibus bonis, h. e. feculo vrbis (Romae) VII. VIII. et VIIII. vel a temporibus Philippi atque Alexandri M. Macedonum, vsque ad vtriusque Antonini, Imperat. R. aetatem, cernitur: ipse tamen plane nihil de hoc disseruit, ratus, eum non negligendum quidem esse, sed minus late patere. Hoc quodammodo verum esse, equidem infitiari nec volo, nec possum etiam. At enim vero quum numi prisci non minus, quam alia vetustatis monimenta, ad τȣ̃ *Antiqui* classem pertineant, et vsus ille, quem ὁ πάνυ E. non nisi per transennam adspexit, aliosque adspicere iussit, ad probabile artis et elegantiae iudicium, multum momenti habeat: de hoc quoque paucis disputare, nec nisi extremas illius quasi lineas ducere placet, quoniam iustam loci huius descriptionem atque explicationem conficere, hocque libello promulgare, vetant angustiores excursus limites, aliaeque rationes complures. Eius genera iamdudum exposuit, idque summatim, immortalis IOSEPH. ADDISONVS, Britannus longe celeberrimus (Dialogues upon the Usefulness of ancient Medals, p. 9 — 142. vol. III. opp. Londini 1746. vulgatt.): et huius e dialogis, docte non minus, quam ingeniose scriptis, hic, illic, mutuabor, quae ad rem pertinere existimo: addam vero et alia, quae, multiplici rerum vsu condocefactus, credo, sententiam qualemcunque meam illustrare posse, et confirmare. Cernimus in numis antiquis, eisdemque non male detritis, nec rubigine fere consumtis, Deorum figuras eleganter et affabre delineatas caelatasque; neque solum illorum, quorum statuae cum maxime superant, et quibus sunt simillimae, sed eorum etiam, quorum mentionem non nisi in veterum auctorum libris reperimus. Cernimus in eisdem vultum,

quin

quin totam faciem virorum, rebus antiquitus gestis celeberrimorum: tum personas, allegoricae quae vulgo, seu imaginariae vocantur, definitasque earum notas, actiones, gestus, instrumenta: porro vrbium et oppidorum symbola, quae dicuntur, seu signa et indicia, quibus tam oppida, quam numi, ab aliis et aliorum numis, facile certoque dignosci solebant: tandem aedificiorum variorum, hodie prorsus aut collapsorum, aut vi dirutorum, structuram et rationem singularem, quorum formam in solis huiuscemodi monimentis spectare possumus. Haec omnia recte, et, vt par est, artis ad leges examinata et exacta, non possunt non ingenii et oculorum sensum aciemque ita conformare, vt in homine prudenti, nec cupiditate obcaecato, probabilis elegantiae sensus et intelligentia gignatur. Quae vt in artificibus sunt maxime necessaria, ita in homine quouis ingenuo, multoque magis in viro erudito, probanda et commendanda: vtpote quae facient, vt de rebus affabre ingenioseque elaboratis, sententiam non ineptam et deridendam, vt Megabyzus (Aelian. V. H. l. II. c. 2.) aut ipse ille Alexander M. (id. l. c. c. 3. Plin. H. N. l. XXXV. c. 10. p. 696. vol. 2. opp.) de pictis quibusdam tabulis, sed iustam prudentemque pronuntiare possit. Iam vt viris eruditis vel maxime videndum est, ne ipsis hoc idem, quod duumuiris, quos dixi, eueniat; ita eos singulos omnem impendere decet operam, vt ex antiquis numis non minus, quam e fontibus aliis, hanc prudentiam atque intelligentiam hauriant, itaque auctoritatem suam stabiliant, stabilitam confirment. Quibus praemissis, in ipsam rei arcem inuadamus.

Statuarum priscarum, quae quidem hodieque supersunt, quattuor praestantissimae atque elegantissimae censen-

censentur *Herculis Farnesiani*, *Veneris Mediceae*, *Apollinis Vaticani*, et *M. Aurelii*, equo insidentis: quas affabre delineatas formatasque antiquis in numis spectari scribit ADDISONVS ingeniosissimus (l. c. p. m. 25). Cui tantum abest, vt aduersari velim, vt potius multis de caussis adstipulandum existimem, propterea quod celebratas aliorum Deorum Dearumque statuas in eis itidem delineatas reperimus. Peruetustam *Dianae Ephesiae* statuam, qualis Musei Pio-Clementini Vol. I. tab. 32. cernitur, prae se ferunt numi *Ephesiorum*, aliorumque oppidorum, quorum ciues ipsam cultu tantum non insano (Act. Ap. cap. XVIIII. 27.) prosequebantur: videsis Numismata aenea moduli maximi e museo Pisano, (tab. X. 3; XXIII. 2; LX. 2.) it. MorellI Specimen vniuersae rei numariae antiquae, (tab. II. 1. 2; XVI. 6; XXI. 8.); Les Césars de l'Empereur Julien traduits du Grec par feu Mr. de Spanheim, (p. 82). Plures Deae huius in numis expressae figuras memorare non est necesse. Eximiam *Mercurii* statuam cernimus Musei Pio-Clement. vol. I. tab. 6; eandem, huic admodum similem vides in Numismatt. Pisan. (tab. XXI. 2.) it. in Valentis (Vaillant) Numis Imperatorum, cet. a populis Graece loquentibus, percussis (p. 193. 203. et Append. tab. *h*. 2. et *k*. 2). *Apollinis citharoedi* statuam venustam sistit Musei Pio-Clement. vol. I. tab. 16: cuius effigiem fere similem subministrant numi, quales protulit Spanhemius, (Les Césars de l'Emp. Julien, p. 54. et in append. p. 121.) it. Valens (Num. Imperatorum, cet. in Coloniis, municipiis, cet. iure Latino donatis, percussis, Part. alt. p. 157. et 192.) qui tamen Deum veste muliebri indutum esse, temere iudicauit. Simili veste indutum ac delineatum sese voluit ridiculus ille Apollinis imitator, Nero, (v. Musellii Numism. antt. Imperatorum, tab. XXV. 1. et Spanhem.

Spanhem. l. c. p. 53). Nec minus eximia *Veneris Gnidiae* ſtatua, qualem oſtendit Muſei Pio-Clement. T. I. tab. XI. cernitur in *Gnidiorum* numo, quem protulit Haym (Teſoro Britannico, Part. II. tab. XVI. 3. vel in verſione lat. tab. XLI. 2); ac nuperrime etiam Bartholomaeus (Recueil de cartes geographiques, plans, vues, et medailles — — relatifs au Voyage du jeune Anacharſis, tab. 27. n. 3.), qui ſimul animadvertit, ſimilem Deae figuram et ſtatum apparere in aliqua Ducis Aurelianenſis gemma iam delineata et explicata (Deſcription Tom. I. pl. XXXI. pag. 135). Verum praeter Deorum ſigna, in ſtatuis adhuc ſuperſtitibus viſenda, offendimus in numis etiam ſimulacra, quorum ſtatuae prorſus deſiderantur. Huc pertinet *Iupiter Labradeus*, ſeu *militaris*: quem cuſum voluerunt Myſalenſes in numo aereo, prolato in reliquis Numiſmatt. muſei Pis. (tab. XLV. 1.), cuius rationem vt recte intelligas, adeas, neceſſe eſt, Alb. Mazzoleni Commentar. p. 128. Dei eiusdem faciem, nonnihil diuerſam, ſubminiſtrauit e numo Neronis Haym (l. c. Part. II. tab. III. 11; et huius verſ. lat. tab. XXVIII. 5). Praeterea priſcis in ſcriptoribus memoratum legimus *Iouem φιλαλήθη*, item *Acraeum*. Neutrius ſtatua, quam quidem ſciam, hodie exſtat: vtriusque tamen ſimulacrum, quale diuino mactatum eſt honore a populis antiquis, verae religionis expertibus, in numis conſpicari licet. Priorem *Laodiceenſes* venerati, in numis caelatum voluerunt (v. Numismata maximi moduli de Camps, p. 17. n. 2. et p. 55. n. 2. it. Spanhem. les Céſars de Iul. p. 135): poſteriorem, Ἀκραῖον dictum, *Smyrnaeenſes*, in ipſorum numis conſpicandum (v. Numiſm. de Camps p. 17. n. 3). Diſcrepans vtrumque ſculpendi ratio non tam ex auctorum deſcriptionibus, quam potius e numis aut ipſis, aut intelligenter delineatis, et prudentibus horum inter-

 preti-

pretibus peti poteſt et addiſci. Similis ratio eſt *Iunonis Samiae*, non paucis ſcriptoribus antiquis memoratae: cuius faciem itidem non niſi in numis conſpicaris: vt, in Numism. Mus. Piſani (tab. XXIII. 2; XXXIX. 3; XXXXVII. 3; LIV. 4; LXI. 3.), de Camps (p. 83. n. 1; 97. n. 3.), de Wilde (tab. XXIII. 136.), Seguini (p. 171.) et Valentis Imperatt. cet. Graec. (append. tab. *k.* 2.), qui editor poſtremus, quae Dea haec ſit, p. 206. non indicauit, aliis locis *Iunonem pronubam* appellare ſolet. Nuperrime inſignem e gaza regia numum, in quo eadem Dea a Samiis expreſſa eſt, produxit etiam Bartholomaeus eodem loco (tab. 27. n. 4), qui praeterea plura, nec tralaticia, de Deae ſimulacro et templo expoſuit (Voyage du jeune Anacharſis Chap. LXXIV. Tom. VI. p. 286. ſſ. ed. octopert.). Quod idem de *Luno*, Deo, dicendum. Huius ſimulacrum, quod quidem meminerim, hodie exſtat nullum. Sed qua ratione eum fingere fuerint artifices, complures nos edocent numi. Eorum vnum reperimus in Seguini Selectis Numismatt. antt. p. m. 94. plures protulit Valens in Num. Imperatorum, cet. Lat. (Part. I. p. 166; II. 26. 30. alibi), qualem etiam edidit Haym (Tes. Brit. P. II. p. 145. et vers. lat. P. II. t. 21. n. 3). Qui Ducis Aurelianenſis gemmariam, ita dicere ſi licet, gazam deſcripſerunt duumuiri longe celeberrimi atque eruditiſſimi, data ſibi per Sardam, in qua artifex *Luni* caput crinitum, tectumque Phrygia, quae vulgo appellatur, mitra, eademque ſtellis veluti conſperſa, eleganter ſcalpſit (vol. I. p. 81), data ſibi, inquam, occaſione peropportuna, diſſeruere de Deo hoc ficticio, et *Lunam* pro femina et mare ſimul habitam eſſe infitiati ſunt: ſed Valens, Euſebii, et Diodori Siculi teſtimoniis permotus, Aegyptios reuera crediediſſe contendit, Lunam marem et feminam, ſimul eſſe: quin locum Strabonis (Geo-

graph.

graph. l. XII. p. 835. et 864. ed. Almeloveen), item Macrobii (Saturnal. l. III. c. 8.) affert, ex quo hoc idem effici cogique poteſt. Diis, quos dixi, complures alios poſſem adiungere, et meam confirmare opinionem: ſed metu, ne iuſto longior forem, nihil amplius hoc de loco dicam, praeterquam quod in numis non raro ſpectantur Deorum ſimulacra, vel capita, qualia omnium primi et vetuſtiſſimi artifices ſculpſerant, ideoque plebeculae ſuperſtitioſae veneratione cultuque in primis digna viſa ſunt. Vnde eorum facies, quamuis admodum rudes, ac tantum non deformes, in numis quoque ſuis delineatas et caelatas voluerunt: vt, *Epheſii*, qui Dianae ſuae ſignum coelo delapſum, ſeu διοπετὲς (Act. Ap. XIX, 35.) eſſe credebant; *Samii*, qui Iunonis ſuae ſimulacrum ab Argonautis eo delatum (Pauſan. Achaic. ſ. l. VII. c. 4. p. m. 530. conf. Mazzoleni commentar. ad Numiſm. Piſ. p. 153.) vel potius *Smilidis* Aeginetae, Daedalo qui aequalis fuit, manu fabricatum exiſtimabant, (v. Valentis nott. ad Num. de Camps, p. 83. it. Athenagoras, Apolog. pro Chriſtianis, p. 134. ſſ. ed. Rechenberg.); *Siculi*, qui in numis non paucis *Proſerpinae*, vel *Dianae* caput, more antiquiſſimo formatum, delineari caelarique iuſſerunt. Taceo rudem *Aſtartes*, *Veneris Paphiae*, cet. formam, non niſi in numis conſpiciundam: qui certis auctorum priſcorum locis multo plus lucis affundunt, quam virorum κριτικοτάτων commentarii copioſiſſimi: vt, verba Taciti, *Veneris Paphiae* figuram ſic deſcribentis (Hiſt. l. II. c. 3. extr.): *Simulacrum Deae non effigie humana, continuus orbis, latiore initio, tenuem in ambitum, metae modo, exſurgens*, multis, credo, obſcuriora erunt; ſed qui, ſi non numos ipſos, certe quidem libros tractat, in quibus eius picturae lineares exſtant, vt, Valentis Numiſm. Imperatt. cet.

lat. (Part. I. p. 93. alibi) item Andr. Morellii Specimen rei num. ant. (tab. XVI. n. 7.) eum ſcriptoris Latini mentem vel ſine commentario peruidere oportet.

Porro complurium virorum antiquitus celeberrimorum faciem in numis conſiderare, et tantum non venerari licet; id quod non parum oblectamenti adferre ſatis conſtat. Non dico iam regum, imperatorum et horum coniugum, liberorumque, cet. ſed eorum vultum, qui philoſophia colenda, legibus ſcriptis, aliarum artium optimarum ſtudio, de humano genere quam optime promeriti ſunt. Cernimus itaque in numis Samiorum *Pythagoram* (Morell. l. c. tab. XII. 7. it. de Wilde l. c. tab. XXIII. 139), Pompeiopolitanorum *Chryſippum*, Stoicorum principem, (Morell. l. c. t. XXV. 2.) Mytilenaeorum *Lesbonactem*, philoſophum (Cary Diſſertations ſur la fondation de la ville de Marſeille, cet. p. 131. ſſ.) in aliis, *Archytam*, Tarentinum (Haym Teſ. Brit. P. I. p. 137.) *Antiſthenem*, Cynicorum parentem (Haym l. c. p. 128), *Theſpidem*, comoediae auctorem (ib. p. 197.), *Lycurgum*, Spartanórum legislatorem (ib. p. 125.) alios: quorum adſpectus viro cuique ingenuo, artium et honeſtatis amanti, non poteſt non gratus ac iucundus, quin veluti ſtimulus eſſe, vt eos pro meritis veneretur, et, quantum licet, imitetur.

Tum offendimus in numis *allegoricas*, quae vocantur, *perſonas*, non minus affabre ſcienterque delineatas, quam ingenioſiſſime cogitatas. Harum et indicem ſatis copioſum, et explicationem doctiſſimam, e poetarum verbis petitam, ſuppeditauit Britannus, quem ſupra dixi, immortalis ADDISONVS (l. c. p. 37. ſſ. et 170 ſſ.). His addere poſſem alias, non ſolum earumdem formas, aliis in numis delineatas;

ſed

ſed etiam quaſi perſonas, ab auctore Britanno praetermiſſas, vt, *Patientiam*, in numo Hadriani (v. Seguini Num. Sel. p. 141. et Morell. Spec. tab. VIII. 8), *Monetam*, *Vbertatem*, *Nemeſin* vel *Nemeſes*, *Conſtantiam*, *Hilaritatem*, *Prouidentiam*, cet. ſi conſilii mei ratio id permitteret.

Tandem de regionum, prouinciarum, ciuitatum, vrbium, inſtitutorum ac caerimoniarum ſymbolis, aut inſtrumentis, in numis populorum antiquorum conſpiciendis, probeque notandis, non pauca, nec tralaticia, memorare poſſem, ſi mihi per eandem, quam dixi, cauſſam liceret eſſe copioſiori. In OISELII *theſauro* numismatum antiquorum plura, quae ad hanc cauſſam pertinent, iam expoſita ſunt. Sed vt is non niſi Romanos tractauit numos, et, quae ex his poterat, Symbola collegit, et delineanda curauit; ita cuique liberam hoc idem de Graecis faciendi permiſit poteſtatem. Iam vero accuratior ſymbolorum ſcientia in examinandis ſecernendisque poſterioribus numis tanto magis neceſſaria eſt, quanto rariores per ſe ſunt, et quanto maior eſt copia ſignorum, quae Graece loquentes in illis expreſſa voluerunt. Hinc opus non inutile aggreſſurum eſſe reor eum, qui ſymbola, ſiue ſigna, de quibus quaeritur, ex eiusmodi numis colligere, paucis deſcribere, et eorum cauſſas breuiter ſtrictimque exponere velit. Qui ſi diuerſas inſuper populorum et oppidorum ſingulorum ἐποχὰς, quas vocant, addere non grauetur; is profecto de rei numariae antiquae ſtudio, huiusque amantibus, immortaliter mereatur, neceſſe eſt. Sed ad rem redeamus, et eum numorum vſum, quem ab Auctore immortali non niſi ὡς ἐν παρόδῳ indicatum, ſupra dixi. Nimirum in eorum, bonis quidem temporibus cuſorum, figuris conſideranda eſt, et animo expendenda harum

 inuentio

inuentio perquam prudens et ingeniosa, qua artifices monetales sequebantur hoc, vt in aliis oppidorum origines, in aliis Penatum patriorum beneficia et cultum, in aliis ciuitatum, vel maiorum res, hoc illoue tempore egregie gestas, in aliis personarum, ἀλληγορικῶς delineatarum, effectus in vtramque partem docerent spectatores. Quae omnia, mente sagaci examinata et considerata, quantum vtilitatis ad res quam plurimas adferant, qui non facile perspiciat, reor esse neminem. Tum in eiusmodi figuris recte et solerter contemplari decet iustam, artisque legibus conuenientem delineationem, qua meliorem, accuratiorem probatioremque cogitando assequi vix possis. Accedit, quod figurae, quibus nihil exactius eruditiusque animo fingere, nedum graphide pingere queas, in ferreas numorum formas a scalptoribus tam affabre incisae sunt, vt, cum numorum recentiorum figuris comparatae, incredibile, quantum in antiquis eminere videantur. Quas si oculus sincerus, necdum deprauatus, identidem contemplatur; fieri non potest, quin elegantiae sensum, siue intelligentiam adipiscatur, ad res quam plurimas pertinentem. Quemadmodum igitur gemmas, ingeniose solerterque scalptas, vel caelatas, artificibus, aliisque viris ingenuis et venusti amantibus quamplurimum vtilitatis adferre inter omnes constat: ita numos quoque ingeniose excogitatos, manu exercitata scalptos et percussos, fructus eosdem, quin vberiores etiam, propter maiorem rerum, in eis expressarum, copiam et varietatem, cuique homini, pulcri venustique studioso, largiri posse, non temere, non inconsiderate contendo. De quo singulari numorum antiquorum emolumento quum persuasum esset praestantissimis recentioris aetatis pictoribus, Raphaeli Sanctio, Vrbinati, Lebrunio, Rubenio; non est, quod mireris, si huiusmodi artifices,

quot-

quotquot poterant, numos collegisse, solertissime examinasse, imitandoque eorum figuras, hic, illic, in tabulis pingendis produxisse memorentur ADDISONO celeberrimo (l. c. p. 15). Haec breuiter strictimque exposita, si quis, quo decet, ingenio, studio, et rerum necessariarum cognitione ornatus, dicendo persequi velit; eum, capto simili consilio, iustae magnitudinis librum, eundemque perutilem, conscribere posse, quis est, qui non intelligat?

EXCVRSVS XV

SVPER PRISCA RERVM FIGVRAS LINEIS CIRCVMSCRIBENDI RATIONE.

Artis nec leuis, nec inutilis, de qua nonnihil disputare adgredior, origines, progressus et perfectionem viros eruditos, τȣ͂ *Antiqui* naturam indagantes, adeo non exponere, quin ne tangere quidem video, vt id, quod de huiusmodi rebus sciendum est, silentio prorsus praetermittere, vel labris non nisi primoribus, quod aiunt, gustare soleant. Quo lecto, caue, existimes, me a viris eruditis postulare, vt totum locum veluti artifices persequantur, et artis bene recteque discendae, colendae et exercendae praeceptiones inculcent. Hoc, tantum abest, vt ab eis petam et flagitem, vt potius videam et contendam, eorum haud esse, totius artis vim et naturam inuestigare, erudite explicare, in eaque recte versandi praeceptiones docere. Haec sunt eorum, qui artem ipsam profitentur. Verum poterant tamen, quin debebant, viri

viri docti, artium historiam conscribere adgressi, huius ipsius, de qua quaeritur, artis caussas et origines in priscorum scriptorum libris anquirere, et quae in illis relata legerant, aut coniectura non temeraria et iusto audaciori, sed modesta, assequuti erant, in commentariis, quisque suis, exponere, et cum aliis communicare. Quum enim toreutice, plastice, pictura, verbo, artes *bellae* seu *fingentes*, quas appellant quidam, omnes ea, tamquam fundamento quodam suo nitantur; non video, qui, quum harum historiam scribere decreuissent, eius rationem habere voluerint nullam. Quod tamen ita esse, res ipsa loquitur. Vnum noui virum egregie doctum, A. RIEMIVM, qui in commentario super pictura veterum (*Ueber die Malerei der Alten. Ein Beitrag zur Geschichte der Kunst. Veranlasst* von B. Rode: verfasst von A. Riem, Pr. zu Berlin 1787. forma quadripertita) initium differendi fecit a prisca rerum figuras lineis circumscribendi ratione. Quod vt hominis cuiusque prudentis laudem et applausum meretur, ita viri eruditissimi vestigiis insistere, persona mea non indignum arbitror; et, quum in libello Ernestiano, cura qualicunque mea iterando, de artibus, quas dixi, disseratur, itidem nonnihil de figurarum lineis circumscribendarum artificio dicere, et hoc excursu breviter strictimque explicare. Id haud dubie antiquissimis iam temporibus natum, et vtcunque exercitatum est ab hominibus scribendi et pingendi prorsus ignaris; etiamsi per monimentorum fide dignorum inopiam tum ignoretur, qui isti fuerint homines, tum populus, cuius isti fuerint, certo explorari nequeat. Fieri potest, vt iam ante diluuium, quod litterae diuinitus patefactae memorant, in primis Asiae populis exstiterint nonnulli, qui rem non infeliciter tentarent. Quo pacto enim artibus quibusdam, quae iam tum inuentae

et

et exercitatae dicuntur, recte et probabiliter vacare potuissent, nisi dexteritatem rerum figuras delineandi, non dico perfectissimam, sed aliquam certe, ingenio studioque, vel, si mauis, forte fuerant assequuti? Opus erat hac, de qua quaeritur, arte ad aedificandum qualecunque oppidulum; ad conficienda instrumenta et res varias, quas Iubal et Thubalcainus inuenisse et parasse memorantur (Gen. IV. 21. f.); ad parandum vestitum mundumque muliebrem, quem huius sororem, Naemam, primum excogitasse suspicantur interpretes quidam, propterea quod Moses eius solius, hoc quidem loco, quo plura recenset inventa, mentionem fecerit. Sed haec vtcunque sint, tamen nihil certi et explorati de primis eorum periculis affirmari, neque ex eis effici cogique posse, nemo est, qui non videat. Hoc vnum non sine graviori caussa coniicere licet, prima illa pericula admodum rudia et deformia, sine iusta singularum partium ratione, proportione ac dimensionibus fuisse: adeoque acrius studium et inuestigationem copiosam non mereri. De hominibus igitur, qui post stupendi eius, quod dixi, euenti tempora, terram coluere, oppida, societates, ciuitates, cet. condidere, quaeritur, et quaeri tantummodo potest, ecquis eorum, vel qui populus, omnium primus, rerum figuras lineis circumscribere inchoarit, aliosque docuerit? Equidem eiusmodi quaestionem semper existimaui non solum vanam et infructuosam, sed etiam temerariam et inconsideratam esse: vnusquisque enim, qui illam mouet, per se ipse potest animo praecipere, qui certam, luculentam, veroque prorsus conuenientem dare queat responsionem, reperiri hodie neminem. Igitur temere ac nequidquam quaeris, quod a nullo vnquam mortali vere explicari posse, tu ipse non ignoras. Interim vt homines, qua alias quoque res

et caussas, vana sciendi cupiditate laborant, neglectis iis, quae magis ad ipsos pertinent: ita huius quoque artis, quae profecto longe praestantissima, et ad res quam plurimas vtilissima est, auctores omnium primos explorare auent, aliosue iubent, etiamsi vtilitatis nihil inde capiant, eosque indicari non posse, bene sciant; multo minus de ea perficienda atque prouehenda laborent. Ea igitur, quam dixi, cupiditas fecit, vt homines vel eruditi quaererent, a quonam populorum paullo celebrium, artis huius originem et initia repetere oporteat. Sunt plerique, quod alio loco iam monui, et aliis in posterum monebo, qui Aegyptios, vt artes omnes, ita hoc quoque figuras lineis circumscribendi artificium inuenisse, per hieroglyphorum studium excoluisse, et populos alios docuisse, contendant. Sed non ita pridem exstitit vir alius, non exiguo ingenii acumine, et exquisita eruditione ornatus, RIEMIVS, quem paullo ante dixi, sacrorum apud Berolinenses oratorum eximius, qui commentatione, quam itidem indicaui, demonstratum iuit, Aegyptios artis, de qua quaeritur, non auctores et magistros, sed tantummodo imitatores fuisse. Scriptor hic eruditus, tam architecturae, quam picturae, adeoque huius pariter artis principia et leges Aegyptios sumsisse censet ab Indis, quorum coloni fuissent. Huius sententiae confirmandae caussa adferuntur non solum argumenta, ex simili aedificandi ratione, quam populus vterque vetustissimo iam tempore sequutus sit, et cuius vestigia hodieque superesse et animaduerti testentur viri, itineribus per ea loca factis celebres, desumta et ingeniose exposita; sed etiam figurae nonnullae, lineis circumscriptae et aeri incisae, quae documento esse creduntur, Indorum pingendi et delineandi viam et rationem a prisca Aegyptiorum consuetudine haudquaquam discrepare.

Neque

Neque infitias ire possum, inter hasce figuras, et complures Aegyptiacas similitudinem esse singularem, quin longe maximam. Sed talis quoque est inter has vtriusque populi figuras lineis circumscriptas, et eas, quas prisci Graeci atque Etrusci delinearunt; quin adeo inter illas, quas egomet ipse saepenumero vidi a pueris tenellis et artis prorsus ignaris, delineari. Quem vero huiuscemodi similitudo vmquam adducet, vt Graecos et Etruscos veteres, ac multo magis puerulos illos, propterea Indorum posteros, colonos et discipulos esse credat? Similitudinis talis et tantae, qua figuras certe lineis circumscriptas, longe alia caussa sit, necesse est, quam quae scriptori illi perquam erudito atque ingenioso visa est, et quam verbis exquisitis ornauit. Adstipuletur ei, cui lubet: mihi profecto argumentatione simili persuadere non potuit. Persuasissimum mihi contra est, quidquid alii viri eruditi existiment, summum rerum omnium auctorem hominibus primis per totum terrarum orbem spargendis, facultates tribuisse et varias, et necessarias, ad cogitanda, exsequenda et paranda ea, quae vitae tuendae studium, quod pariter cum omni animante nascitur, et inde pendens rerum complurium necessitas exigebat. In diuersis, quas dixi, facultatibus, est etiam ea, quae nos ad imitandum adducit. Hanc imitandi facultatem vel puerıli, alii alia via et ratione, significare solent. Eorum non pauci, si otiosi sunt, et vel exigua phantasiae vi pollent, quidquid alicubi viderunt, in charta vel tabula aliqua delineant extremis lineamentis, vt, milites, equos, canes, currus ab equis prouectos, cet. et rerum conspectarum figuras vtcunque factas sodalibus ostendunt. Quarum aliae, aliis multum anteponendae, non obscure docent, qui de pueris compluribus figuras delineandi pingendique artificio maxime idoneus futurus sit: quandoquidem praestan-

praestantiores illae rei delineatae similitudinem ita exprimunt, vt ipsam rem intueri putes, easdemque pluribus fere Etruscis, Graecis, Aegyptiacis et Indicis figuris anteferre possis, quin debeas. Quod quum ita sit, et rerum vsus quotidie doceat; in ea sum haeresi, quae inter primos Indos, Aegyptios, Graecos et Etruscos fuisse nonnullos credit, qui, puerulorum more, res aspectabiles, lineis circumscribere, et ob oculos ponere tentarent, nec opus fuisse, vt Etrusci ex Graecis, Graeci ex Aegyptiis, Aegyptii ex Indis, prima haec elementa discerent. Populus, me iudice, quisque produxit homines quosdam, naturali hac figuras delineandi facultate praeditos; qui eam, opportunitate sibi data, per se ipsi, et sine magistris, excolerent, et, quantum per suas et ciuitatis suae res, instituta, religionem, coeli temperiem, alia licebat, perficerent. Cuiusmodi homines, si cuius nationis exterae opera, suis praestantiora, viderant, recteque examinauerant; si ingenio, si iusto, nec iam deprauato, pulcri venustique sensu, si intelligentia praecipua, atque phantasiae impetu multum valebant; facile efficere potuerunt, vt rerum figurae, manu sua lineis circumscriptae, aliorum operibus multum antecellerent: quas statuarii, pictores, marmorum sculptores vel caelatores, velut protypa, siue exemplaria, intueri et imitari, sibi gloriae ducebant. Ex quo, mea quidem sententia, luculenter apparet, non esse, cur artifices Etruscos et Graecos ex Aegyptiorum, Aegyptios ex Indorum quasi scholis prodiisse credamus, nec sine contentione quadam affirmemus. Quod quidam hoc modo accidisse putant, id, credibile est, alio etiam euenire potuisse. Hoc de loco eadem fere, quae ego, scripsit Italus doctissimus ac clarissimus, GREGORIVS FIERLI, Academiae Cortonensis sodalis celeberrimus, in commentatione,

qua

qua ſcalptorum Etruſcorum et Graecorum virtutes inter ſeſe comparauit (*Sopra il merito degli Scultori Etruſchi, paragonato con quello dei Greci*, vid. *Saggi di Diſſertazioni Accademiche, lette nell' Accademia di Cortona*, Tom. VIII. Diſſertaz. XIIII. p. 271. ſſ.): quam vt legant recteque expendant, ſuadeo ſingulis, qui probabilem de hac re ſententiam pronuntiare auent. Hic recte et prudenter diſtinguit diuerſa tempora, diuerſosque gradus, quibus et per quos ad altiorem perfectionis gradum ſenſim ſenſimque euectum eſt delineandi artificium. Rudiorum hominum, ſiue Indi fuerint, ſiue Aegyptii, ſiue Graeci, ſiue Etruſci, pericula omnium prima fuerunt ſimpliciſſima, quorum lineae, pleraeque rectae, v. c. in deſcribenda figura humana, nec caput, nec corpus, nec brachia, nec crura, nec reliquos artus, articulos aut muſculos, naturae conuenienter, et ita ob oculos ponerent, ac ponere poſſent, vt in ea quaſi vitam, habitum, geſtum, motum, cet. multo minus animi affectiones, et faciei ſimilitudinem animaduertere poſſes. Verbo, ea parum, vel nihil prorſus, ſuperabat figuras, quales ludendo fingunt pueri tenelli. Similis ratio erat figurarum, quibus miſelli tirones alia, ſiue animalia eſſent, ſiue inanimata, lineis circumſcripta exprimere ſibi videbantur. Poſtquam vero tempus, rerum vſus, et, quod maximum eſt, ſolers prudensque ipſius naturae, i. e. rerum, quas terra procreat et alit, contemplatio illos quaſi erudiiſſet, et meliora docuiſſet: quidquid naturae minus conuenire videbant, nonnihil emendare coepere populorum, quos dixi, omnium artifices. Sed, vel hoc facto, figurae humanae deſcriptio fuit durior et affectata: idem adhuc in eis cernitur habitus, h. e. compreſſus ad lineae rectae anguſtias; veſtimentorum plicae vel lineis parallelis recta deſcendunt, vel

vndatim

vndatim ductae omnes eodem modo ſinuantur; capilli in fronte et temporibus comti et diſpoſiti ſunt minutulis cincinnis; faciei, iuſto longioris lineamenta, naſi, oculorum, aurium, oris, menti collocatio et forma, multum a naturae exemplari et quaſi formula diſcedunt. Quibus in figuris, Etruſcis et Aegyptiacis non magis, quam Graecis, veritatem aeque ac varietatem deſiderabis, quin ignorantiam fere ruſticam non poteris non animaduertere, propterea quod earum artifices, hoc nomine vix digni, corporis humani rationem et ſtructuram, diuerſum in negotiis variis exſequendis habitum, geſtum, flexum, cet. haudquaquam intellexere, vel delineando recte et naturae conuenienter graphide aſſequi, et exprimere non potuere. Quos errores, vbi in figuris a ſe delineatis, et cum ipſis rebus naturalibus ſolerter et, qua par erat, animi contentione comparatis, aut ipſi perſpexerant, aut ab aliis, ſe prudentioribus, reprehendi audierant; primam illam figuras delineandi viam et rationem deſpouere, depoſitaque conſuetudine adhuc vſitata, non niſi hominum veſtibus indutorum figuras lineis exprimendi, easdem nudas lineamentis extremis deſcribere, eodemque modo pingere, ſcalpere, caelare coeperunt Etruſci. Sed hac ratione inita, delapſi ſunt in errorem, antegreſſo prorſus oppoſitum et contrarium. Quas enim figuras adhuc lineis, quod dixi, tantummodo rectis, parallelis et compreſſis, maxime graciles, macilentas et veluti exſiccatas, vitaque carentes, formarant; eas iam quaſi luxuriantes, actione, habitu, geſtu corporis affectato, brachiorum, pectoris, ventris, crurum muſculis iuſto crasſioribus et tantum non circularibus, articulis admodum tenuibus, oſſibus nimis eminentibus atque per cutem fere penetrantibus, delineare et formare placuit. Quam rationem artifices Etruſci poſthac nunquam

non

non tenuisse videntur. Graeci contra, qui primum, quem dixi, errorem emendaturi, itidem in alium, prorsus oppositum, delapsi erant, et figuras veluti luxuriantes non minus, quam Etrusci, aliquamdiu formarant, caussis compluribus adducti, vel ab altera hac via et formula discesserunt, atque figuras tandem, humanas maxime, lineis extremis ita circumscripserunt, vt ex eis pulcri venustique sensus, et intelligentia maxima, quin paene diuina, eluceret. Sed antequam ad hunc venustatis, pulcritudinis, elegantiae gradum peruentum est, artifices vel celebriores alteram illam delineandi rationem aliquamdiu tenuere, et itidem figuras formarunt, quarum nulli proprietas sua constaret; non Apollo a Marte, non Hercules a Vulcano, non Iuno a Venere, vel Minerua, discreparet. Huiusmodi erroris ipse ZEVXIS arguitur ab Aristotele (Poetic. p. 230. edit. Sylburg.): et id genus opera recte et vere *dura* appellauit Cicero. Quibus expositis, satis pro instituti mei ratione, de prisca figuras lineis circumscribendi via modoque dixisse mihi videor. Ceterum ex his, quae adhuc disputata sunt, simul apparere opinor, Indos et Aegyptios a prima et paene puerili figuras delineandi et formandi ratione et consuetudine parum vel nihil discessisse; Etruscos contra et Graecos eam pedetentim deseruisse, et pari fere gradu aliquamdiu progressos esse, ita, vt maxima inter vtrorumque figuras similitudo intercedat, et Graeca ab Etruscis opera interdum vix ac ne vix quidem discernere possis: vnde fieri potest, vt Etrusca, quae Graecorum; Graeca, quae Etruscorum artificum opera sunt, saepenumero censeantur. Tandem vero Graeci, philosophando, meditando, in primisque ipsam naturam et pulcerrima quaeque ipsius opera recte et prudenter imitando, artem deduxerunt ad tam altum perfectionis gradum, vt sese

ad

ad ſummum veniſſe, vere gloriari poſſent. Ad quod efficiendum, multum momenti habuiſſe videtur conſilium *Pamphili*, Macedonis, qui, Apellis magiſter, ſuaſit, et popularibus ſuis per totam Graeciam perſuaſit etiam, vt pueri ingenui, ante omnia, graphicen, hoc eſt, picturam in buxo docerentur, reciperetur que ars ea in primum gradum liberalium, (vid. Plin. H. N. l. XXXV. c. 10. p. m. 694). — Quibus expoſitis, ad alia progrederetur oratio, niſi ante pauciſſimis indicare placeret antiquitatis monimenta ea, ex quibus diuerſi quaſi gradus, per quos inſigne rerum figuras extremis lineamentis circumſcribendi artificium tranſire oportuit, antequam ad ſummum perueniret, cum maxime perſpici poſſunt. Tabulae pictae, ſigna lignea, eburnea, et ſimilia, per rerum naturam hodie ſupereſſe non poſſunt, neque adeo eiusmodi rudimenta prima ob oculos ponere. Ea tantum, quae ex marmore vel metallo quodam fabricata erant, et gemmae ſcalptae, aetatem ferre, et ad poſteros peruenire potuere, et reapſe peruenere. Exſtant gemmae non paucae, rudem, quae illas delineauit et ſcalpſit, manum ſatis indicantes. Etruſcas vulgo quidem appellant, et ſunt certe, ſi litterae ſimul inciſae, hanc appellationem confirmant: alioquin a Graecis quoque ſcalpi potuerunt, eoque magis, ſi figurae ſcalptae ex fabula vel hiſtoria Graeca ſumtae ſunt, et ad hanc pertinere videntur. Signa marmorea a primis Graeciae artificibus, vt, Daedalo, Smilide, aliis, facta, quae ipſa delineandi tirocinia monſtrarent, itidem non ſuperſunt, ſi quidem eos talia perfeciſſe quidam exiſtiment: vnde non niſi in vna alteraque tabula marmorea, eaque caelata, artificii, de quo quaeritur, rudimenta prima quaeri poſſunt et inueniri. E metallis facta ſunt ſigna, ſigilla et numi: priorum numerus non adeo magnus eſt, et quam rudis et imperita

manus

manus eorum vetustissima delinearit et confecerit, ex Illustriss. Cayli Collectione, et figuris ibi delineatis luculenter apparet. Plurimum lucis quaestioni huic affundunt numi, et in his artificii progressus, etiamsi documenta desint alia, quodammodo animaduertere possumus. Quos vulgo Hispano-gothicos vsurpant, si reapse sunt veterrimi, rerum figuras sistunt tales, quales puerulus quisque facile fingit. Eis non multum elegantiores sunt, quas in antiquissimis Graecorum numis delineatas et expressas offendimus. Horum duos tantummodo nominare lubet: alter a Corcyraeis cusus, exhibet bouis vitulum lactantis figuram, quam in lucem exire iussit V. Celeberr. Bartholomaeus in libello, quem latine versum quam maxime velim, inscriptum, Essay d'une paléographie numismatique, ex quo eum repetiit V. Cl. Pellerinus, Récueil de Med. Tom. I. tab. XI. n. 7; alter a V. Eruditiss. Witzleben primum promulgatus in Sel. quibusdam numismatt. Gr. ineditis, Lips. 1744. in quo caprae cubantis figura cernitur. Plures alios ab Eckhelio, Neumanno, VV. CC. promulgatos silentio praetermitto. Sed vt Graeci primam delineandi rationem emendarunt, ita etiam numi ab iis percussi petedentim elegantiores fieri inchoarunt, donec Alexandri M. fere aetate et aliquamdiu post, artificum ingenium et manum praestantissimam atque exercitatissimam recte et vere indicarent.

EXCVRSVS XVI
AD PART. II. CAP. V
DE
TOREVTICE.

Capitis huius argumenta singula qui me non temere, sed prudens ac sciens, magis explicare, et quae ad ea perspicienda recteque enucleanda necessaria sunt, plenius, eorumque rationi conuenienter enarrare iubeat; is sese sciat onus mihi, viribus meis non aequum impositurum esse, et loci non minus difficilis, quam latissime patentis, explicationem postulaturum. Quod quum ipse non ignorem, sed prae multis aliis plane perspiciam; tantum abest, vt iustum capitis, super quo nonnulla sunt dicenda, commentarium, rebus exquisitis refertum, atque artis, de qua quaeritur, rationem et ambitum omnino exhaurientem polliceri, vt eius non nisi duo velut articulos paucissimis illustrare possim, et velim etiam. Agit Auctor immortalis primum de signis et statuis e marmore factis, et posthac de gemmis, tam scalptis, quam caelatis: verum de priscorum artificum ratione, materiam ipsam praeparandi et poliendi, atque opera ipsa ingeniose affabreque ex iis formandi, nihil disputat, caussatus, huiusmodi quaestionem non tam ad viros eruditos, vel litterarum amantes, quam ad artifices pertinere. Quod etsi per se verum est, nec quisquam facile poscit, vt homo litteratus artis vtriusque viam et rationem tam recte scienterque, quam ipse artifex, calleat, et tantum non exercere possit:

ei tamen, si non maxime necessarium et fructuosum, certe quidem honorificum est, si ne huius quidem negotii indagationem prorsus negligit, atque vel ex libris, quibus artium illarum initia, easdemque recte et prudenter exsequendi praeceptiones traduntur, vel ex artificibus ipsis, et in horum officinis, quantum opus est, sensim sensimque discit, vt recte et vere super his statuere, et multa scriptorum antiquorum loca melius intelligere, atque interpretari possit. Huiusmodi enim cognitione imbutus, multa in artificiis ipsis videre, et iure quodam suo vel laudare, vel vituperare potest, quae spectatores, rerum similium expertes, prorsus fugiunt, et faciunt, vt iustum rebus pretium statuere nequeant, ideoque temere de iis statuendo saepenumero turpiter sese dare soleant. Vnde hoc loco nonnihil adferre placet, quod tali in negotio in primis necessarium videtur.

Ac primum quidem de marmorum parandorum, et statuarum ex iis caedendarum ratione, quantum satis fore opinor, disputabo, paucis de artificum Graecorum educatione et institutione expositis. Quos Graecia vidit aluitque artifices, non erant serui, a prima iuuentute in officinas, tamquam in pistrina vel ergastula detrusi et compacti, vbi, sine vlla praemiorum aut honorum spe, nolentes, et inuita manu aeque, ac Minerua, opus imperatum perficiebant, quod dominus durus et inhumanus, nec nisi lucri cupidus, ab eis exigebat; sed homines ingenui, liberaliter educati et instituti. Horum ad institutionem in primis requirebatur, vt graphicen discerent, auctore et suasore Pamphilo, Macedone, Apellis magistro. Rem narrat Plinius, quod in excursu antegresso iam ostensum est. Vnde semper honos fuit graphicae, vt ingenui exercerent, mox honesti: perpetuo inter-

dicto, ne seruitia docerentur. Qui postquam, vt ingenuos decuit pueros, instituti, ex ephebis excesserant, tam publicis ciuitatum, quisque suae, concionibus atque consultationibus super negotiis ad remp. pertinentibus, quam rhetorum et philosophorum disputationibus interesse poterant, eisque artificis cuiusque officinam libere adire, et virorum prudentum super operis ab hoc confecti ratione, et vel praestantia, vel vitiositate, in vtramque partem disputantium audire licebat. Cuiusmodi disputationes non poterant artificis, iuuenis quidem illius, sed ingeniosi ac solertis, mentem non acuere, atque sic afficere, vt certissimas artis praeceptiones sensim perciperet, ac penitus videret, quid sibi in artificio qualicunque describendo et conficiendo spectandum esset, atque moliendum, vt id censori cuique intelligenti, seuero, et paene moroso probaret. Accedit, quod in gymnasio, in palaestra, aliis in locis, quotidie cernere et contemplari poterat pulcerrimas corporum humanorum formas, gestus, habitus, flexus, cet. atque ex his, quid vel deceat, vel dedeceat, quid naturae conueniens sit, quid repugnans, obseruare, eoque pacto phantasiae vim et nutrire, et inflammare. Quae omnia, in scholis praecepta et quasi instillata, in artificum officinis laudata, vel reprehensa, in variis iuuenum pulcerrimorum corporibus reapse spectata, viam artifici, iuueni gloriaeque cupido, monstrabant et pandebant, qua incedendum esset, vt iudicibus seueris, quin saepenumero fastidiosis, quales in cuiusque ciuitate non pauci erant, in opere qualicunque inchoando et perficiundo, nihil reprehensione grauiori dignum videretur. Artifex igitur, tali via et ratione institutus, eximia oculorum acie, pulcri ac decori sensu intelligentiaque, ingenio solerti, manu etiam firma et exercitata praeditus, si quod opus marmoreum, aut

suo

ſuo ingenio, aut aliorum deſiderio obtemperaturus, moliebatur, ante omnia eius picturam in buxo delineare, poſthac proplasma, tum minutum, tum grandius et tantum, quantum rei dignitas, aut loci ſpatium requirebat, non poterat non e materia quacunque molliori, vt, creta, gypſo, argilla, cera, cet. conficere, et aliis diiudicandum oſtendere, vel publice exponere (vid. Plinius H. N. l. XXXIV. c. 7. extr. p. m. 648. et l. XXXV. c. 12. p. 711. coll. FALCONETI notis ad vtrumque locum, ipſius verſioni ſubiectis). Audita aequa, iniqua, iuſta, iniuſta, vel laude, vel reprehenſione cenſorum, rei tam intelligentium, quam expertium, ſuper opere inchoato philoſophari, quod recte reprehenſum videbat, emendare, quod laudatum, in ſtatua ſculpenda magis expolire poterat, adeoque artificium tam ſcienter et affabre elaboratum in lucem proferre, vt ſpectatoris cuiusque perinde mentem, atque oculos veluti captos teneret. In quo conficiundo, ipſum hoc modo verſatum probabile eſt.

Inuento apud eos, qui hoc mercium genus aut effodiebant, aut impenſis ſuis effoſſum aduectumque vendebant, marmoris fragmento tali et tanto, quale et quantum proplasmatis maioris ratio poſtulabat; vtrumque, nimirum proplasma et marmor, in officinae ſuae machinamento, tignis et tabulis bene compacto, alterum prope alterum collocari oportuit, vt in hoc figurae totius facies, et partium ſingularum dimenſiones, recte, et protypo conuenienter, deſignari, lineisque circumſcribi poſſent. Quod dum fiebat, per lineas ſimul tam ad perpendiculum, quam tranſuerſim ducendas, in trunco marmoreo quaſi rete aliquod fingebatur, quod plurimis quadratis conſtans, hunc fere totum obducebat. Quo facto,

 artifex

artifex opus destinatum, itaque delineatum, per homines operarios, aut tirones, exasciari sinebat, ita tamen, vt numquam non adstaret, videretque, ne quid detrimenti ex eorum socordia, imprudentia, vel improbitate, caperet cum marmor ipsum, tum figura in eo delineata. In recidenda eius ora superflua, labor illi potissimum solebat feliciter cedere, qui ipsius naturam et quasi texturam e primis statim ictibus et quasi caedibus diuinare poterat. Qua dexteritate, quo ingenii acumine in primis valuisse memoratur *Michael Angelus Buonarottus*, celeberrimus aetatis recentioris statuarius, et architectus, ita quidem, vt ipse, homo sexagenarius, marmoris redundantis multo plus tribus horulis, quam tres iuuenes robusti, tribus integris diebus, praecideret. Quod *Vigenerium* oculis suis vidisse, et in notis ad Philostrati versionem Gallicam memorasse scribit *Iannon di Laurent* in Dissertatione de Antiquorum lapidibus pretiosis, et eorum modo artificia ex illis formandi et elaborandi. (vid. Li Saggi di Dissertazioni Accademiche, lette nell' Accademia di Cortona, Tom. V. Dissert. I. §. XXXI. p. 34). Quae *Buonarotti* facultas dexteritasque plane singularis, duo, quos dixi, viros eruditos adduxit, vt Graecos artifices crederent; animo valde fidenti manuque longe certiori, firmiori atque securiori versari potuisse in tractando scalpendoque marmore Pario; quippe cuius ratio, natura et textura ipsos, propter vsum varium et multiplicem, haudquaquam latere potuisset. Quae eorum sententia mihi quoque a vero quam proxime abesse videtur. Verum eo, vnde digressus sum, redeundum est. Opere satis exasciato, et singulis figurae membris caelo terebraque leuiter indicatis, et a reliqua massa nonnihil separatis, manum tandem admouit ipse artifex, atque instrumentis ferreis chalybeiisque, omnis generis, diuersaque ratione

tempe-

temperatis, craſſis, ſubtilibus, obtuſis, peracutis, teretibus, cet. leuiſſime caedendo, terebrando et radendo, ſimulque nunquam non adhibitis et applicatis perpendiculis, regula, norma, circino, ea omnia et ſingula pedetentim ita formauit manu ſua longe exercitatiſſima, vt tam ad proplasmatis, quam ipſius naturae pulcritudinem, quam proxime accederent, et iuſtiſſimas, exactiſſimasque dimenſiones, rationes, geſtus, cet. prae ſe ferrent, adeo, vt nihil exactius, nihil eruditius, nihil naturae conuenientius, ne cogitando quidem aſſequi poſſes. Tum vero totum opus radula limisque variis atterendo, pumice et Naxio tandem lapide poliendo, ac cera et aliis laeuigando perfecit, eique nitorem conciliauit, oculos fere perſtringentem. Ceterum in huiusmodi ſtatuis perpoliendis hoc diſcriminis obſeruatum eſſe ferunt, vt eas, quae mares quaſi ſiſtebant, ferreisque inſtrumentis ſatis finitae erant, minus, contra, quae feminas, multo plus expolire atque laeuigare ſolerent. Quo ipſo ipſam naturam, veluti ducem, ſequuti videntur. Atque haec fere habui, quae de marmorum parandorum, et ſtatuarum ex iis ſculpendarum ratione dicere poſſem. Quod reliquum eſt, de his adhuc memorandum puto, quod nec laude dignum videtur, nec imitatione. Nimirum fuere artifices priſci, in primis Aegyptii, qui huiusmodi ſtatuas et opera anaglyptica, colore aliquo illinerent. Quod vt rei naturae aduerſatur et repugnat, ita impedit etiam, quo minus imponatur oculo ſpectantium. Alii vel ſua ſponte, vel aliorum iuſſu, ſtatuas marmoreas deaurarunt: cuius inepti et ridiculi, nec tam laude, quam vituperio, digni moris veſtigia in ſtatuis nonnullis hodieque ſuperſtitibus reperiuntur. Vetus autem inaurandi ratio diſcrepabat a recentiori: illam deſcripſit *Plinius* (H. N. l. XXXIII. ſect. 20. p. 616. vol. 2. opp.) his

 verbis:

verbis: *Marmori, et iis, quae candefieri non possunt, oui candido illinitur, gypso simul inducto:* hanc *Winkelmannus* (Geschichte der Kunst, Th. I. Kap. 4. p. 261. edit. Dresd.). Denique hoc etiam praetermittere non possum, vetustissimorum Graeciae artificum non paucos, teste Pausania, fabricatos esse complures statuas ἀκρολίθους, i. e. quarum capita, manus et pedes tantum e marmore, reliqua omnia e ligno erant sculpta, et vestibus nonnunquam operta. Quam rationem, a multis vituperatam, excusare potest nihil, nisi cognita Graeciae vetustae paupertas, et marmoris raritas, qua artifices omnium primos laborasse credibile est. Iam quoque de operibus ἀναγλυπτικοῖς e marmore caelandis et conficiundis disputandum foret. Sed quae hoc de negotio dicere possem, ea hoc loco sciens et de industria non attingo, propterea quod alio, eoque magis opportuno, paucis tangi et explicari possunt. Adeoque haec hactenus.

EX-

EXCVRSVS XVII
AD IDEM ILLVD CAPVT PERTINENS
DE
GLYPTICE
SIVE
SCALPENDIS CAELANDISQVE GEMMIS.

De gemmis iam ſupra generatim et vniuerſe loquutus ſum, idque duce et auctore incluto, et harum rerum intelligentiſſimo: qui, praeterquam quod de ſingularum natura, colore, et diſcrepantia docte ſcripſit, ſcienter etiam et copioſe de recentiorum gemmariorum via et ratione, praeſidiisque eas poliendi, et hac politura nitorem illarum ſcintillantem augendi diſputauit. Quae qui ignorare nolunt, eis auctor ſuasorque ſum, huius libros adeundi, et cum iis comparandi, quae *Mariettus*, *Natterus*, *Lippertus*, *Klotzius*, *Büſchingius*, alii, minus clari, ſuper hoc argumento ſcripſerunt. Priſci artifices iam peruidere, ſurdum gemmarum colorem, niſi angulorum repercuſſu excitetur, plane hebeſcere; ideoque nonnullas, vt, beryllos, ſexangula figura polire coeperunt; quoniam hi aliter politi eundem non haberent fulgorem. Hoc ex eo apparet, quod *Plinius* (H. N. l. XXXVII. ſect. 20. p. 776. vol. 2. opp.) memoriae prodidit. Vnde, reor, coniectura perquam probabili effici cogique poteſt, ipſos in aliis

 etiam,

etiam, quod in Beryllis, vidiſſe ac tentaſſe; idque tritu pulueris tenuiſſimi ex adamante, vel Smyride lapide, liquore quodam humectati, perfeciſſe. Verum quamuis hoc ita ſeſe habeat, vel certe habere videatur; id tamen de omnibus ac ſingulis, atque adeo de adamante etiam, pro certo affirmare nolim ſine luculentis ſcriptorum antiquorum teſtimoniis. Prudentius me facturum reor, ſi haec dubia viris, me longe prudentioribus, indaganda et decernenda relinquam, et ad certiora progrediar, quae de gemmulis, quas aut ſcalpere, aut caelare viſum erat artificibus, ex earum reliquiis recte concludere licet. Nimirum ad huiusmodi negotium deſtinabant gemmas non maiuſculas, et pondere tantum ſuo eximias, ſed minuſculas, fabae vel ciceris ambitum vix aequantes, easdemque coloris claritate, nitore et praeſtantia excellentes, ad intuendum iucundiſſimas, oculoque gratiſſimas, et ſuauiſſimas, quas tantum non omnes poliendo praeparabant ita, vt clypeo ſimiles; i. e. ellipſeos fere forma, et conuexae eſſent. Quo quidem hoc ſequebantur, vt ſingulas cuiusque figurae partes peraeque excauare, et nihiloſecius brachia ac crura, a corpore nonnihil diſtantia, dextre ſcienterque exprimere poſſent, nec ea, peranguſtis areolae finibus coacti, in arctum contrahere deberent: quod facto opus fuiſſet in planae et aequae areae lapillis. Tum vero, in exſequendo negotio ſuſcepto, eadem via et ratione, qua hodie ſolent ſcalptores, verſati videntur. Credibile enim eſt, priſcam illam quaſi formulam et legem nullo vnquam tempore prorſus interiiſſe, ſed per homines, huius artificii peritos, vna cum imperio Rom. delatam eſſe Conſtantinopolin, ibique ſeruatam, exercitatam atque propagatam per eorum ſucceſſores, ſiue diſcipulos, qui tamen maiorum immortalium veſtigia, complures ob cauſſas,

premere

premere haudquaquam potuere, ideoque ab ipſorum elegantia atque intelligentia, mirum, quantum, deſciuere. Id quod gemmae, ab ipſis ſcalptae, luculenter demonſtrant. His nihilo ſecius ſcalptores recentiores accepta referant, neceſſe eſt, tam inſtrumenta ad rem neceſſaria, quam ipſam gemmas ſcalpendi caelandique viam et rationem: ſiquidem eorum nonnulli in Italiam abierunt, quum Muhammedis adſeclas, imperio orientali potitos, artes optimas et ingenioſas odiſſe viderent; ibi contra eſſe audirent, qui homines, harum bene peritos, amarent, fouerent, remunerarentur. Ex quo tempore inter Italos, Franco-gallos, Germanos, alios, exſtitere non pauci, qui gemmis egregie ſcalptis vel caelatis, immortalem meruere laudem. Sed haec in praeſenti ad viuum reſecare non licet: adeoque ad explicandam veterum ſcalptorum μέθοδον ſeu formulam reuertor. Nimirum ſiquis eorum lapillum, qualem dixi, adeptus erat, aut ipſe ſibi poliendo parauerat, ante omnia Dei, Deae, herois, facti, fabulae, verbo, eius argumenti, quod ſcalpro aut caelo in ipſa effingere cupiebat, vel debebat, graphide picturam linearem in buxo, ſeu tabula alia, et poſthac proplasma tantum, quantum gemmulae area capere poterat, confecit, et ad artis ſuae leges tum ipſe exegit, tum alios exigere iuſſit. Vbi ſeſe id iudicibus, harum rerum intelligentibus, probaſſe videbat, in ipſam quaſi rei arcem inuadere coepit, inſtrumentis variis ac multiplicibus (quorum figuras in *Marietti* libro, Traité des Pierres gravées inſcripto, delineatas et aeri inciſas videre licet, Vol. I. p. 208.) et *terebra* potiſſimum, vulgo *rotam*, vel *orbem* appellant, quaſi armatus. Eorum ſingulorum, pro re nata adhibitorum, acie, illita vnguento eo, quod ex puluere adamantino, vel ſmyride ac πετρελαίῳ temperatum erat, primum extremas figu-

figurae vel figurarum lineas, summo studio iustaque ἀκριβείᾳ in lapilli area scalpsit, et cum pictura in buxo, ante delineata, solerter comparauit: quod effici cogique posse credidit LIPPERTVS ex eiusmodi lineis extremis (contours) in gemma non vna comparentibus, etiamsi partium reliquarum, vt, capitis, manuum, carnis, vestium, cet. confectio et quasi absolutio non nisi tironis cuiuspiam manum admodum rudem, nec satis exercitatam, prodere videatur. Huius discriminis caussa quae sit, coniectura valde probabili assequutus esse videtur vir, quem paullo ante dixi, celeberrimus (vid. Eius Praefatio, Dactyliothecae, lingua vernacula scriptae, praemissa, p. XXIX. f.). Scalptis huiusmodi lineamentis extremis, opus inchoatum continuauit reliquis instrumentis, pro negotii necessitate, et laboris efficiendi ratione, vsurpandis, ponendis, resumendis et terebrae applicandis, vt huius quam velocissime currentis feruore, quam volebat, figuram sensim sensimque excauatam, in gemmae areola conspicere posset. Quam, tandem aspectabilem, cerae aut argillae molliori, identidem imprimebat, vt de figurae ectypo, ibi expresso, iudicare posset, num illud per omnia simillimum sit protypo, seu proplasmati? nec ne? item, num satis? nec ne? in cera emineat: vt, quod minus conuenire, quod parum elegans, exactum et perfectum esse videret, in tempore mutare atque emendare posset. Quod quidem fieri et continuari oportuit, donec ipse, incredibili prorsus patientia et singulari pulcri venustique sensu exornatus, in gemmula scalpta absoluerat opus, quo exactius eruditiusque nemo facile vel mente fingere, vel manu efficere posset. Denique vbi figuram, vel figuras, quantum cupiebat et par erat, exstare atque eminere cernebat; totum opus instrumentis aliis, obtusis, acutis poliri oportuit atque laeuigari,

ita

ita, vt eiusmodi polituram ſolertiſſimam et nitorem, inde pendentem, mirificum non pauci pro certiſſimo manus Graecae, eiusdemque exercitatiſſimae, documento habere iubeant. Et tantum quidem de hoc gemmarum genere diſputare per cauſſas multas mihi licet. Progredior ad alterum, in quo figura, vel figurae caelatae, adeoque in gemmae areola eminentes viſuntur: *Camei* Italice vocantur, Gallice *des Camées*. De huius vocabuli notatione quid vtramque in partem diſputatum ſit a viris eruditis, et hoc litterarum genus amantibus, equidem perbene noui, ſed prudens ſciensque praetermitto rem nec neceſſariam, nec fructuoſam. Ipſam potius cauſſam, de qua quaeritur, ſine mora explicare adgredior. Nimirum ſcalptor, vbi id negotii ſuſcepturus erat, itidem ante omnia figurae, vel figurarum, quam vel quas poſtulabat argumentum, ſiue ſua ſponte lectum, ſiue ab eo flagitatum, picturam in buxo, atque poſthac proplasma, huic ſimillimum, e cera vel argilla conficere debuit, vt tum ipſe, tum alii viri intelligentes atque ingenioſi, id ſatis contemplari, et recte, vere, artisque legibus conuenienter diiudicare poſſent, ac videre, num compoſitio membrorum, num conformatio lineamentorum, num figurae vel figurarum ſpecies, ſtatus, actio, geſtus, reliqua, tam in argumentum caelandum quadrarent, quam inter ſeſe conuenirent et quaſi conſpirarent? nec ne? Huiusmodi anquiſitio, ſeuera quidem illa, et quaſi cenſoria, ſed ingenioſa ſimul, iuſta, et maxime neceſſaria, ſcalptori non poterat eſſe non fructuoſiſſima: in his enim, quae pulcra et recta viſa erant et probata, caelo elaborandis, manu certiori et quaſi confidentiori verſari; in eis contra, quae minus, addendo vel demendo, mutare et emendare poterat, quod fieri non licuit in gemma iam caelata: idque omnium minime in gem-

mis, quae constabant venis et stratis plurium colorum: quorum vnus si in caelando non adhibitus fuisset rei, cui per naturam suam conueniebat, indicandae atque exprimendae, vt, capillis, carni, vesti, laureae, cet. artifex opus suum, licet alioquin haud spernendum, nullo probasset modo iudicibus acutis, et harum rerum intelligentibus. Tum proplasmatis satis examinati emendatique picturam chrysocolla, instrumenti ad rem idonei ope, in gemma agglutinabat: agglutinatae lineas terebrando leuiter indicabat, et hoc modo extremis figurae vel figurarum lineamentis designabat earum quasi terminos, vt, quousque caelando, et ex gemmae ora demendo, progrediendum, vel non progrediendum, quo loco vnaquaeque figurae vel figurarum pars collocanda, quo ambitu, qua magnitudine formanda caelo esset, et elaboranda, ipsum haud lateret. Hoc facto, proplasma tam seuere et quasi adamussim examinatum emendatumquē immittebat in vasculum satis capax, repletumque aqua, lacte alioue colore quasi tincta, ita vt summa illius superficies huic innare videretur. Huius ex aqua emergentis quantum eminere vidit, tantum in gemma exscalpebat, demto per instrumenta varia ex ipsius margine, quidquid superficiem illam cingebat. Hac ratione effingebat ἀνάγλυφον, sed altitudine tam exigua, vt in gemmae areola vix eminere videretur. Tum emisso per emboli extracti foramen, aquae, quam paullo ante dixi, aliquantulo, maiorem proplasmatis superficiem iam conspiciendam, eadem via et ratione imitatus, in gemma caelauit, ita vt paullo maior τοῦ ἀναγλύφου altitudo oculos feriret. Itaque opus prudenter inchoatum, summa industria, patientia incredibili, et stupenda intelligentia continuauit, donec, aqua pedetentim emissa, protypi superficiem magis comparentem, ac denique totam, imitando, tam omnes

omnes omnino figurae vel figurarum partes, quam dimensiones, ei conuenienter, recte atque exactissime praecidendo, iusta oculorum acie, manusque satis exercitatae firmitate ac dexteritate praeditus, exigeret ingenii artisque suae monimentum omnibus numeris absolutum, adeoque aere perennius, et auro ipso fere pretiosius. Huiusmodi via et ratione priscos artifices credibile est versatos esse in gemmis caelandis, et ita perficiendis poliendisque, vt eas vel hodie maximi faciant et demirentur viri eruditi, harumque rerum intelligentes: et maxime quidem gemmarum similium genus id, quod colorum plurium venis aut stratis, altero alteri quasi superinducto, constans, tam scienter poliebant ac caelabant, vt, colore alio ad capillos, alio ad carnem, alio ad vestes figurae, vel figurarum effingendos adhibito, in eis veluti tabulam pictam conficere et suppeditare solerent (v. Büsching's Geschichte und Grundsätze der schönen Künste und Wissenschaften im Grundriss. Zweytes Stück, S. 133). Gemmas sic caelatas hodieque superesse norunt omnes, qui vnius LIPPERTI, viri eximii, dactyliothecam perlegerunt: quam lectitasse poenitebit neminem. Immortalis, quam prisci illi artifices gemmis adeo scienter et ingeniose caelandis adepti sunt, gloria recentiores quoque scalptores adduxit, vt rem non intentatam sinerent. Prae reliquis tamen, nisi vehementer fallor, excelluit NATTERVS praestantissimus, qui e gemma, quinque diuersorum colorum stratis coagmentata, longe ingeniosissime atque exactissime caelauit *Britanniam victricem,* ita vt spectator quisque, harum rerum intelligens, tam insigne opus demiretur, laudibus extollat, paene veneretur, quoniam id veluti

Suspendit picta vultum mentemque tabella.

Vnde

Vnde THOMAS HOLLIS, Eques Britannus, gemmam censuit dignam, cuius picturam aeneae tabulae incisam, promulgaret in libello anglice scripto, qui *Memoirs of Thomas Hollis* inscriptus, anno MDCCLXXX. in lucem exiit. Indicare possem complures alias, huic fere similes: sed qui eiusmodi indicem pleniorem hoc loco desideret, reor, fore neminem. Adeat, qui desiderat, KLOTZII libellum, super gemmarum scalptarum emolumentis et fructibus, rectoque vsu, germanice scriptum, vbi (p. 53.) nonnullae aliae memorantur. Duo alia subiungam, quae magis ad rem pertinere opinor. Nimirum quamquam supra, virorum intelligentium auctoritate et argumentis adductus, priscos Graeciae artifices non minus, quam recentiores, terebram et puluerem adamantinum ad gemmas scalpendas caelandasue adhibuisse contendi: tamen eos, verisimile est, adamantem quoque acuminatum, siue natura, siue arte, siue forte, dum pulveris caussa tundebatur, ita factum, quod posterius Plinii verba (H. N. lib. XXXVII. c. 4. p. 773.) indicare videntur, instrumentis quibusdam inclusisse; inclusum vsurpasse ad finiendas particulas et lineas tenuissimas, quae terebrarum feruore, nondum filo satis tenero et subtili, sed quasi crassiori ductae, nec satis adamussim praecisae et elaboratae erant: qua in haeresi quoque fuit KLOTZIVS, dum in viuis esset, celeberrimus (l. c. p. 48). Quid? quod non minus fieri potuit, vt eiusmodi adamante acuminato, idoneisque manubriolis incluso, extrema figurae, vel figurarum lineamenta in gemmis ducerent, et partium singularum dimensiones, iustumque locum designarent, antequam eas terebrando tentarent. Manus enim firmior et exercitatior simile quasi telum facilius et rectius gerere, sine vllo errandi metu dirigere, eodemque lineas extremas in gemma fidentius ducere,

quam

quam illas terebra, quae minus in ipsius erat potestate, leuissime designare potuisse, mihi certe videtur. Quin probabile est, quas pluribus in gemmis extremas figurarum lineas, easdemque artis legibus conuenientissime exactissimeque ductas, sese animaduertisse testatur LIPPERTVS, (Praefat. Dactylioth. p. XXIX. s.), eas non terebrae feruore, sed eiusmodi adamante acuminato scalptas fuisse.. Quam coniecturam meam diiudicent, ac vel probandam, vel improbandam statuant lectores me prudentiores. — Alterum, quod hoc loco tangendum existimaui, ad vasculi, quod supra dixi, rationem et vsum pertinet: quem multi aetatis nostrae artifices deserunt, despiciunt, ac velut ridiculum cauillantur. In quo quam recte, quam prudenter agant, ipsi videant. Nobis perinde esse potest, siue hanc gemmas caelandi viam et rationem sequantur, siue relinquant, modo artis suae monimenta exigant talia, qualia aetatem ferre possunt, et Graecorum artificum opera si non superant, certe quidem aequant. Habent, qui vasculi similis vsum non aspernantur, inter aetatis recentioris scalptores ducem, eumque non postremum, nec contemnendum, qui hanc ipsam rationem, nullo non tempore, et successu prosperrimo, sequutus est vel in ἀναγλύφοις e marmore caelandis: nimirum *Michaelem Angelum Buonarottum*, vti in eius vita memorauit VASARIVS (Vite de' più eccellenti Pittori, Scultori ed Architetti, 1586. Part. 3. p. 27). Huius e libro repetiit narrationem, et Germanice versam Dactyliothecae praefationi inseruit (p. XXI. ss.) LIPPERTVS, qui rem adeo non improbauit, vt potius maximo opere commendarit. Talium virorum, alterius quidem mos et institutum, alterius iudicium et encomium, omnino dignum est, quod lectitent, animoque recte expendant tum artificii tirones, tum viri docti, harum

rerum amantes. Atque iam satis, pro meo consilio, de priscorum artificum formula vel ratione marmora et gemmas tractandi, exposuisse mihi videor. Quo facto, lector quisque per se intelligat, necesse est, prorsus superuacaneam fore narrationem copiosam, qua eorumdem μέθοδον opera anaglyptica e marmore caelandi, explicare adgrediar. Quam *Buonarottus* tenuit et sequutus est, eadem, vel certe perquam simili, simile negotium eos adgressos esse, valde probabile videtur. Iam vero quoniam alteram satis, vt reor, explicaui, alteram simul exposuisse, et de eadem fidelia, quod in prouerbio est, duos dealbasse puto parietes.

EX.

EXCVRSVS XVIII

DE

ARTIFICVM GRAECORVM

CAVSSIS DEORVM DEARVMQVE SIMVLACRA TALIA, QVALIA OMNIVM CELEBRATISSIMA FVERVNT, ELABORANDI.

Legenti mihi descriptionem Graeciae, eximium PAVSANIAE opus, quo, praeter alia memoratu digna, vetustiores Deorum Dearumque figuras, non nisi lapides deformes, palos ligneos, βαιτύλια, βρέτη, fuisse, sed nihilo secius cultu diuino affectos testatur (v. c. p. 132; 253; 228; 300; 302, alibi) et cogitanti posthac, quam artificiosa, quam exquisitae stupendaeque pulcritudinis et maiestatis plena fuerint eorum simulacra, recentioribus artificibus fabricata, et in templis collocata; mirum profecto visum est, qua tandem ratione adducti, eiusmodi simulacra, humanae figurae simillima, licet arte exquisitissima et paene diuina, tum animo fingere et destinare, tum manu elaborare coeperint. Βαιτύλια enim ac βρέτη, et ξόανα illa, i. e. lapides vel palos deformes, quod honore diuino prosequuti sint homines adhuc rudes, nec philosophia aliisque artibus exculti, id equidem non magnopere miror, propterea quod ipsis persuasissimum erat, ea antiquissimis iam temporibus caelo delapsa, adeoque Deorum dona esse, et veluti signa, sub quibus ipsi coli vellent, et honore

mactari diuino. Cuiusmodi opinio, a primis maioribus credita, et ipsorum posteris tradita, instillata, itaque propagata, facile permouit homines philosophiae ignaros, tantum non stupidos, ideoque ad superstitionem procliuiores, vt in rebus adeo brutis, adeo deformibus, sancti et diuini quid inesse temere censerent, easque hoc nomine venerarentur. Quin earum cultus, plura per saecula continuatus, ne tum quidem prorsus desiit, quum artes liberales omnes, et philosophiae studium apud singulos fere Graeciae populos maximo in honore essent, omnesque ingenui homines eas primoribus certe, quod aiunt, labris gustare solerent. Quod quamuis ita esset, opinio tamen ipsis, adhuc puerulis, instillata et inculcata, variis hominum aetate prouectiorum narratiunculis nutrita et aucta, et tandem in superstitionem absurdam et ridiculam degenerans, vim in eorum animos tantam habuit, et tam efficacem, vt plerique errorem, quam verum, sequi, cum plebecula absonam, foedam, turpemque superstitionem, quam certissima philosophiae placita amplecti, et exsequi mallent. Atque hanc ob caussam in non paucis Graecorum templis, similia βαιτύλια et βρέτη exstare, diuinoque affici honore vidit *Pausanias*, eius aetatis scriptor, qua artes liberales, et philosophia potissimum, trecentos iam annos, amplius, per Graecos homines excultae, et, quantum fieri poterat, propagatae erant. Interim hoc ipso temporis spatio exstitere artifices, qui prisca Deorum signa, quae antiquissimis temporibus et hominibus veneranda erant visa, mutare, eisdemque humanam faciem attribuere auderent. Qui quibus caussis ad id audendum impulsi videantur, iam indagare, quantum fieri potest, atque explicare placet, eo quod huiusmodi quaestionem ad artium historiam pertinere, mihi persuasissimum est. Tantum autem abest,

abeſt, vt, ſignificato hoc meo conſilio, me rem luculenter declarare, itaque demonſtrare poſſe credam, vt in ea dubitationis plane nihil ſuperſit, vt potius non niſi coniecturam qualemcunque a me prolatum iri largiar. Vnde in ſententia mea nec perſtabo ipſe, nec quemquam alium perſtare iubebo, ſi quis veriora et rectiora ſuper hoc loco diſſerere, certisque argumentis confirmare potuerit. Nimirum quum homines philoſophiae probabilis praeceptionibus et placitis nondum imbuti, Deum eſſe crederent quidem, ſed de Deo, eiusque natura et proprietatibus, notionem iuſtam, perfectam, diſtinctam, illiusque maieſtati conuenientem, animo ſibi fingere nequirent; et quum humanam ſpeciem quacunque alia longe praeſtantiorem eſſe viderent; quin ab ipſis philoſophis pulcerrimam eſſe eam nunquam non audirent (v. Cic. de Nat. Deor. l. I. c. 47): homines perquam rudes et ignari facile induxerunt animum, vt Deum itidem humana ſpecie, vtpote reliquarum omnium, quas norant, praeſtantiſſima atque pulcerrima, eſſe exiſtimarent *). In quo opinionis errore ipſos magis etiam confirmarunt poetae fabulis illis, quas de Deo, vel potius de Diis, et horum originibus, temere et inconſiderate

*) Hoc nomine Graecos inſaniae accuſarunt Perſae, qui neque ſtatuas, neque templa, neque aras ponere et conſecrare fas putarunt, auctore Herodoto (l. I. ſect. 131. p. 66.): qui, hoc ſcripto, ſubiungit, *ὡς μὲν ἐμοὶ δοκέει, ὅτι οὐκ ἀνθρωποφυέας ἐνόμισαν τοὺς θεοὺς, κατάπερ οἱ Ἕλληνες εἶναι.* conf. Weſſeling. not. ad h. l. it. *Warburtoni* Divine legation of Moſes, l. II. Sect. I. not. *p*. p. m. 150. ſſ. ac *Gillies* Hiſtory of ancient Greece, Cap. II. p. 51. ſs. vol. I. qui ex hac Deorum mythologia et fingendi ratione non parum vtilitatis redundaſſe contendit ad Graecos mitigandos, colendos atque expoliendos.

derate ſpargebant, et tenellis puerorum, carmina ipſorum lectitantium, animis mature et ſenſim inſtillabant. Qua in opinione alios etiam populos plerosque fuiſſe veriſimile eſt. Aegyptiorum Dii quidam, Deaeque prae ſe ferebant figuram fere humanam *): et quo quidem ab hac diſcrepabant, eo ſingularem cuiusque proprietatem, vel egregium aliquod eius facinus, ſignificatum ibant. Ipſorum Iſis, Serapis, Harpocrates, Anubis cet. rem demonſtrant. Nec minus Philiſtaeorum *Dagon* (1. Sam. V. 3. 4.) Ammonitarum Molochus (2. Reg. XVI. 3.), aliorum alii (l. c. c. XVII. 29 — 32). Eos admodum graphice depingit auctor hymnorum ſacrorum (Ps. CXV. 4 — 7; CXXXV. 15 — 18.), item libelli eius, qui vulgo *Solomonis Sapientia* dicitur (Cap. XV. 15). Exſtant et aliorum Deorum ſigna, a populis ignotioribus et obſcuris cultu diuino mactari ſueta, quae figuram prae ſe ferunt humanam. Eorum diuerſa protulit *d'Hancaruillius*, eques et ſcriptor Franco-gallus, cum rebus aliis, tum dictis factisque παραδόξοις perquam famoſus, (Supplément aux Recherches ſur l'origine, l'eſprit et les progrès des Arts de la Grece; ſur leur connexion avec les arts et la religion des plus anciens peuples connus; ſur les monumens antiques de l'Inde, de la Perſe, du reſte de l'Aſie, de l'Europe et de l'Egypte. A' Londres 1785, forma quadripertita. vid. tabb. 1. 2. 3. 4. 11. n. 2. alibi). Ex his, quae auctor ille Franco-gallus efficiat cogatque, equidem in praeſenti nec curo, nec hic adferre volo, quippe quae prorſus ἀπροσδιονύσως forent dicta: hoc autem praetermittere nequeo, eſſe in his etiam, quae ab

*) Sed antiquiſſimi eorum maiores, Herodoto teſte (l. II. ſect. 142. p. 173.) aeque ac Perſae, ἔλεγον Θεὸν ἀνθρωποειδέα οὐδένα γενέσθαι.

ab humana, qua ceteroqui ſunt, figura nonnihil discedant. Aliud enim ſimulacrum plura habet capita, aliud brachia complura, pluresque manus, quibus res tenet diuerſas, alia inſtrumentis geſtuque ſingulari diſcrepant. Quae, me iudice, non temere, nec inconſiderate ſic fabricata videntur. Nimirum mihi ſuper his mecum meditanti, haec tandem nata eſt ſuſpicio, priſcos talium idolorum auctores, ſuaſores et fabros, quum in Deo viderent non poſſe plura attributa, plures facultates atque proprietates non ineſſe, vt ad hoc vniuerſum creandum, conſeruandum, prudenter gubernandum aptiſſimus eſſet; haec autem omnia in figura humana, eaque ſola et veluti ſolitaria, ſimul ſignificari nequaquam poſſe; non male ſeſe facturos exiſtimaſſe, ſi id, quod in Deo ſingulare, praecipuum et eximium eſt, pluribus artubus, eius corpori vel ſimulacro appoſitis, ſignificarent: vt, maximam intelligendi facultatem pluribus capitibus, quoniam eius ſedem in cerebro eſſe rebantur; maximam poteſtatem pluribus lacertis, brachiis et manibus, propterea quod his, quidquid volumus, efficimus; inſigne iuſtitiae ſtudium gladiis, quos manibus gerunt; attributa alia aliis quaſi inſtrumentis, ſiue ſignis. Quae quamquam nobis, philoſophiae ſanioris et litterarum diuinitus patefactarum luce colluſtratis, recte et vero inepta et ridicula, oculisque noſtris, ob formam nec venuſtam, nec naturalem, monſtra potius, quam Deorum ſimulacra videntur: tamen haud ſcio, an Graeci homines in vniuerſum, et, praeter poetas, artifices ſigillatim, magis laudandi ſint, quod, polytheismo dediti, Deos Deasque, et talia eorum facinora commenti ſint et tradiderint, qualium accuſari et conuinci vir quisque καλὸς κἀγαθὸς erubeſcat. Foeda, qualia dixi, Deorum ſimulacra oculos offendant, neceſſe eſt: ſed magis offendunt mentem inte-

 gram

gram caſtamque deteſtanda Deorum atque Dearum flagitia, quos Graeci, populos, cui alioqui tot et tam vtiles artes, philoſophiam, et omnem in vniuerſum pulcri venuſtique ſenſum debemus, deuenerati ſunt. Interim haec eorum ſuperſtitio, hic error aeque vulgaris ac deteſtabilis, tantum abeſt, vt artibus ingenioſis, de quibus quaeritur, vllo modo obſuerit, vt eis potius quam maxime profuiſſe, eas adiuuiſſe, multumque momenti ad eas magis excolendas perpoliendasque habuiſſe videatur. Poetae quantum vtilitatis inde ceperint, in praeſenti non tango: id haud ignorant ingenioſi et prudentes ſcriptorum poeticorum lectores. Contra quem fructum inſignem artificibus, et artibus ipſis attulerit idem ille error, hoc loco praetermittere vetor et conſilii mei ratione, et, quo teneor, promiſſo ſupra dato. Nimirum peruulgato, quem paullo ante dixi errorem, oppidorum fere ſingulorum ciues Deos Deasue ſingulares, quos tamquam praeſides tutelares a primis conditoribus, aut aliis maioribus acceperant, et ſatis diu in lapidibus et palis deformibus coluerant, venuſtiora, praeſtantiora, atque ſplendidiora ſimulacra, circa quae ipſorum cultus religioſus verſaretur, et quae tum materiae pretioſioris, tum eximiae pulcritudinis nomine, templorum ſuorum ornamenta forent, poſcere inchoarunt: maxime quidem, poſteaquam ſculptores et ſtatuarii progreſſus opinione omni maiores in arte excolenda fecerant, nec dubia ingenii manusque ſuae documenta, hic, illic, exſtabant. Singulorum fere oppidorum paullo locupletiorum ciues, ſpecie quidem, pietatis erga Deos ſtudio, reapſe famae et gloriae cupiditate ducebantur ad ea poſcenda, et in templis collocanda. Quod commune et peruagatum ſtudium, velut contagio quaedam, pertinuit etiam ad artifices, et hos perpu-

perpulit, vt ſimili laudis gloriaeque deſiderio acti, itidem omni animi contentione in ſimulacris, quae poſcebantur, fabricandis laborarent, ea maxima, qua fieri poterat, arte fingerent ac perficerent, eoque modo non tantum ciuitatum, quae ea deſiderabant, ſed etiam ſuae, famae et gloriae conſulerent. Namque per eiusmodi opera longe ſplendidiſſima, quibus, quid ipſorum ingenium paene diuinum, et manus longe exercitatiſſima poſſit efficere, docuiſſent, et vna cum ipſis, immortales ſeſe futuros rati, nihil ſtudii, nihil laboris, nihil operae non adhibuerunt, vt, quod ſequebantur, aſſequerentur. Quod vehementius vtrorumque, tam populariuni, qui eiusmodi ſigna requirebant, quam artificum, qui ea formabant, famae ſtudium, quae valde probabilis aemulatio, plurimum certe momenti habuit ad praeſtantiſſima quaeque artis opera conficiunda, ſiue hodieque ſuperſint, ſiue iniquo rerum humanarum fato iamdudum interierint: opera, omnibus numeris adeo perfecta, venuſta, et ſimul gratiarum plena, vt vniuerſa natura nihil ſimile commonſtrare, ſed mens ſola, non ſine contentione aliqua, fingere, ipſorumque tum exemplar, ſiue ideam et imaginem concipere, tum eius tamquam effectrix et opifex eſſe poſſit. Quae mentis agitatio, quae feruidior concitatio, difficillima non minus, quam inuſitatiſſima atque ſimul ingenioſiſſima, quaſi peperit foetus illos, forma et pulcritudine ſua excellentes, quos ſuperſtites, vt quondam Graeci, ita nos hodie, cum ſtupore aliquo demiramur: eosque conſpicientes, tam polytheismi errorem ineptum atque perabſurdum, quam foeda Deorum Dearumque, quorum ſimulacra ob oculos ponunt noſtros, facinora aliquamdiu obliuioni dare ſolemus. In quo negotio exſequendo ita verſati ſunt artifices ingenio, intelligentia manuque praeſtantes, vt in ſingulis Diis,

 Deabus,

Deabus, heroibus, aliis perſonis illuſtribus, proprias et ſingulares vniuscuiusque facultates, proprietates, et interiores ſenſus per oris et vultus lineamenta, et habitum deſignarent ita, vt de ſingulorum ingenio, indole, mentisque ſtatu recte et vere iudicari poſſet. Sed quae generatim et vniuerſe dicta ſunt, ea iam nominatim, non quidem de ſingulis (quod nec neceſſarium, nec conſilio meo conueniens foret) ſed de nonnullis tantummodo docere placet. Qualem Phidias, quod inter omnes conſtat, Iouem illum Olympium fabricauit, talem quidem non inter homines, et in rerum natura conſpexerat, ſed phantaſiae tantum vi et concitatione, lectis tribus Homeri verſibus (Il. I. 528. ſſ.), animo confictum vidiſſe ſibi viſus erat: vnde ipſum eiusmodi oris vultusque lineamentis, et ea expreſſit maieſtate, vt immenſam terrae ac ponti mouendi poteſtatem, ſolo capitis et capillorum nutu, ſignificaſſe et expreſſiſſe putaretur. Artifex alius formauit Iunonem, et in huius oris et vultus lineamentis, ac reliquo habitu et ornatu expreſſit feminam, pulcritudine tanta, quanta ne in pulcerrimis quidem mulieribus cernitur, quantamque mentis tantummodo et phantaſiae vi et concitatione, cogitando aſſequutus, ingenii manusque dexteritate finxerat, ita tamen, vt in eius vultu matronam maieſtate et dignitate plurimum pollentem videre crederes. Alia ſunt Veneris, alia Mineruae lineamenta faciei, in earum ſignis, quae artifices ingenioſiſſimi atque exercitatiſſimi formarunt, expreſſa et conſpicienda: in vtroque cernis feminam adeo pulcram atque formoſam, vt in omnibus, quotquot tellus nutrit, mulieribus tam eximia, tam venuſta, et numeris omnibus abſoluta non reperiatur, ſed tanta pulcritudine praeditam et excellentem, quanta non niſi animo fingi et concipi poteſt. At enim vero quamquam vnaquaeque longe formoſiſſima eſt;

vtrius-

vtriusque tamen pulcritudo eſt diuerſa, et multum diſcrepat. Oris et vultus lineamenta Deae poſterioris produnt quaſi animi magnitudinem, conſilium, robur et fortitudinem; in prioris lineamentis obſervando examinandoque animaduertis puellam vixdum puberem atque modeſtam. In Apollinis, Mercurii et Bacchi ſignis contemplari exiſtimas non niſi adoleſcentes longe pulcerrime, et arte exquiſitiſſima formatos: verum ſi ea ſingula propius et attentius conſideras, in vultus lineamentis et corpore primi denuo conſpicaris et os et integrum corpus, qualia vniuerſa natura haudquaquam, ſed ſola mentis et phantaſiae vis ac concitatio tibi ſiſtit, idemque iuuenta adhuc florentiſſima, animo magno, auctoritate diuina, et interdum ſuperbiae geſtu praeditum: in alterius habitu, et forma pulcerrima atque nitidiſſima, itidem adoleſcentem, pulcritudine et venuſtate plus quam naturali vel mortali excellentem, ſed cuius e corpore, mirum, quantum agili et veloci, qualia ſunt eorum, qui exercitiis gymnaſticis et palaeſtricis omnem dedere operam, animus elucet actuoſus, aſtutus et tortuoſus: in tertii tandem ſimulacro cernis itidem adoleſcentis pulcerrimi, florentiſſimi et gratiarum omnium pleniſſimi corpus, idque tam eleganter, venuſte et affabre factum, vt mera ſolius naturae vis ei, qua omnia, par et ſimile haudquaquam producere poſſit; quod tamen ab antegreſſorum corporibus et habitu differt, eo quod eſt ſolito carnoſius, ſucci plenum et tactu tenellum, ita vt molleſcere et effeminari videatur. Poſſem de Marte, Diana, Vulcano, Cerere, aliis, pari modo et ratione diſputare atque demonſtrare, quo pacto artifices illi ingenioſiſſimi in horum ſimulacris fabricandis eo peruenerint, vt humana quidem ſint figura, ſed ea, quae omni humano, incredibile, quantum, nobilior ſit atque excellentior.

lentior. Possem de heroibus, vt, Hercule, Castore, Polluce, Meleagro, cet. de hominibus illustribus, vt, Laocoonte, Niobe et huius familia, Leda, Helena, cet. itidem similia, obseruatione digna, scribere, ac docere, artifices in eorum statuis fabricandis non simplicem meramque naturam imitatos esse, sed phantasiae suae vi, concitatione, et quasi oestro agitatos, tales eorum omnium species et formas, mente primum concepisse, et deinceps manu exercitatissima finxisse et elaborasse, quales natura solitaria, et solis vnisque eius viribus efficientibus nullo nec loco, nec tempore gignere possit. Quod idem non solum statuarios, sed etiam pictores, vt eorum quisque erat ingeniosissimus atque solertissimus, fecisse constat. Parrhasii Hercules, Rhodi, insulae et vrbis monimentum et ornamentum spectatu dignissimum (Plin. H.N. l. XXXV. sect. 35.) et Zeuxis Helena, Crotoniatarum rogatu picta (Cic. de Inuent. l. II. c. 1), opinionem qualemcunque meam satis confirmant. Verbo, exempla, quae memoraui, omnia luculentissimo sunt argumento, antiquitatis artifici cuique prudentissimo atque praestantissimo persuasissimum fuisse, quod nihil in simplici genere omnibus ex partibus perfectum natura expoliat, ideoque ars requirat, vt ingenium legendis scriptorum et poetarum maxime descriptionibus praestantissimis veluti nutriatur, eoque modo phantasiae vis excitetur et inflammetur ad eiusmodi ideas et imagines rerum fingendas et componendas, quas natura quidem per se sola haud subministrat, pulcritudinis tamen exquisitae et perfectae leges postulant; hisque adeo conuenienter cogitare, coniungere, et opera sua formare debeat ingeniosus et probabilis artifex. Atque haec quidem hoc de loco, vel potius hac de coniectura sufficiant: plura addere nolo, partim metu, ne excursus fines temere migrare videar,

et

et Apellis de Protogene dictum (Plin. H. N. l. XXXV. c. 10. p. 695. vol. 2. opp.) in me magis etiam quadret; partim quod alio forsan loco et tempore haec rectius ac plenius dicendo persequi potero.

EXCVRSVS XVIIII

AD PART. II. CAP. VI

DE

PLASTICE.*

Capitis huius initio ὁ πάνυ ERNESTIVS recte et vere exposuisse videtur de Plastices origine perquam rudi et simplici, de prima, in qua tractanda versabatur, materia, de eius progressu et perfectione, item transitu a molliori materia ad duriorem, i. e. metalla, quae tam ad vasa diuersa, et alia opera caelanda et scalpenda, quam ad signa, statuas, ac protomas conficiendas, priscos artifices frequentissime adhibuisse constat. Verum quamquam plura hoc de loco ingeniose et vere dicta esse largior; res tamen breuius, quam eius ratio postulat, explicata videtur. Vnde est, quod, praeter me, multo plures rerum similium arbitri in ea exsequenda censeant varia omissa, quae si non docte et copiose enarrata, certe quidem breuiter strictimque indicata velint. Nimirum lectores plerique in simili commentatione putant sese relatum lecturos, qua via et ratione artifices illi in duriori, (de molliori enim iam non quaeritur,) materia tractanda versati sint, vt ex ea tam perfecta, tam eximia, et, quod ex paucis illis, quae hodie superant, luculen-

luculenter apparet, artis tam ſtupendae opera formare poſſent. Quam eorum exſpectationem quum decipiat libellus; operae pretium me facturum arbitror, ſi hac de via et ratione, quantum quidem poſſum, et par eſt, dicere, idque in qualicunque hoc excurſu cum lectoribus, res ſimiles ſciendi cupidis, communicare adgrediar.

Ad credendum facile, ne dicam neceſſarium, eſt, antiquitatis artifices, quotquot operibus ex metallo quocunque liquefacto ingenioſe, affabre et venuſte formandis, operam ſtudiumque impendere, et iſta viris, pulcri venuſtique ſenſu, et certa intelligentia praeditis, probare voluere; eiusmodi formis, quas Franco-galli *des moules* appellant, haudquaquam ſuperſedere, nec ſine eis, quod ſequebantur, aſſequi potuiſſe. Capto igitur tale quid formandi conſilio, ante omnia de iuſta aptaque forma, ad id recte conficiendum maxime neceſſaria, cogitare oportuit; ideoque in hoc negotio, ea fere ratione, qua hodie figuli, *κασσιτερουργοὶ, σιδηρουργοὶ*, in officinis, quique ſuis, verſari. Nimirum quoniam tornum, ſcalprum, caelum, vel inſtrumentum id, quod rota ſeu orbis figularis dicitur, in metallo, quale dixi, tractando vſurpare nequaquam licebat; non potuere ex argilla, creta, gypſo, alia terra et materia, aqua humectata et bene ſubacta, formam ſiue exemplar rei eius, quam meditabantur, non parare, in qua metallum liquefactum, fluens et infuſum iſthoc acciperet ectypum, quod in forma adhuc humida, ſiue protypo ligneo impreſſum, ſiue radio et rudi tantum manu deſcriptum et excauatum erat. Tum forma, ſic facta et praeparata, vt duabus, minimum, partibus conſtaret inter ſe iunctis atque ita cohaerentibus et aptatis, vt commiſſura pelluceret nulla, nec metallum infuſum

per

per eam, veluti rimam, effluere posset, solis aut ignis calori exponenda fuit, vt satis recteque durescere. Quo facto, si artifices huiusmodi formam, et quasi protypon, consilio suo adamussim conuenire videbant, eam maximi aestimarunt, itaque adseruarunt, vt ectypa longe plurima eius praesidio perficerent. In quo negotio quemadmodum porro versati sint, iam paucis explicatum ibo. Quod antequam facio, hoc vnum reor adhuc monendum, in parandis ac conficiundis formis, ad statuas equestres fundendas necessariis, multo plus ingenii, studii, laboris ac temporis requiri, vt tandem massae aeris seu metalli liquefacti, excipiendae capaces fiant. Quin facta aeris fusura, et successu quidem (quod non semper contingit) felicissimo peracta, statuae, ex forma isthac exemtae, purgatio, politio, laeuigatio rursus plurimum et operae, et temporis exigit, antequam perfecta et omnibus numeris absoluta dicatur. Possem totam hanc rationem, ex libris variis desumtam, hic inserere: sed talis descriptio vt iusto longior, ita etiam plerisque minus iucunda foret. Hinc eam de industria omitto. Adeat, qui illam scire percupit, libros eos, quibus statuarum equestrium Lutetiae Parisiorum, Hauniae, Petropoli, alibi, aetate fere nostra, positarum confectio, et omnis apparatus necessarius graphice descriptus legitur. Quae mihi, per caussas varias, hoc loco tangere licet, ad vniuersum, non ad singulare hoc negotium pertinent. Ac primum quidem nonnihil dicam de huius generis vasis: tum differam de operibus in metallo quocunque vel scalpendis, vel caelandis: et tandem de ipsis signis, statuis et protomis fabricandis. Aes Cyprium, Aegineticum, Deliacum siquando liquefaciundum erat, artifices huic lapidis aerosi, siue cadmiae, stanni alibi, plumbi, ferri, quin argenti et auri, plus, minus, diuersa

ratione

ratione et proportione, admiſcuiſſe conſtat: quae eſt cauſſa, cur hodieque reperiantur numi, vaſa, idola, albicantia, ſubfuſca, rubicunda, flaua, alia. Aurum tamen et argentum credibile eſt, non niſi artifices Corinthios, qui huiusmodi vaſis fabricandis potiſſimum vacabant, aeri addidiſſe: et per hanc admiſtionem valde ingenioſam, non vero in Corinthi per Romanos, L. Mummio imperatore, expugnatae incendio, quod vulgo quidem, ſed falſo dicitur, natum eſt celebratum illud aes Corinthium, quod tanto maioris vel minoris eſſe oportuit pretii, quanto plus, minusue auri, ſiue argenti, ipſi erat admiſtum. Metallum, prout viſum erat, commiſtum et liquefactum infundebat artifex per aptum foramen in formam, in qua excauatum erat protypum vaſis, cuius ectypon formare decreuerat, ſimulque inſertus quidam quaſi embolus, (populares noſtri *den Kern* appellant) quo interior ipſius cauitas naſceretur. Vas in forma ſatis frigefactum, et ex ea, cautiſſime ſeparata, exemtum, ſi totum laeue eſſe oportuit, torno intrinſecus et extrinſecus fricando, terendo et poliendo laeuigabat; ſin aſperum, i. e. figuris ſiue ſcalptis, ſiue caelatis ſplendidum et ſpectatu dignum, inſtrumentis ad vtrumque neceſſariis vtebatur, horumque adiumento figuras quascunque, rudi tantum manu in protypo delineatas vel impreſſas, plane perficiebat et effingebat ita, vt manupretium non raro pluris aeſtimatum ſit, quam ipſa metalla, e quibus vas erat conflatum atque fuſum. In quo genere Corinthii potiſſimum artifices excelluere: qui cogitando et feliciter audendo, eo perfectionis rem deduxerant, vt natae ex admiſto auro vel argento venae, ſtriae, ſuaues maculae, floſculi, figurae aliae, in reliqua aeris maſſa, adeoque in ipſo vaſe laeuigato et polito, ineſſe viderentur. Et quanto ſpecioſior, hanc ob cauſſam, erat eius adſpectus,

tanto

tanto magis placuit, tantoque carius et aeſtimatum, et emtum fuit. Tum ſiqua id genus opera in columnis, faſtigiis vel ianuis templorum, aedium, clypeis, aliis exornandis neceſſaria, erant conficienda; artifices eadem, qua dixi, via et ratione rem adgredi oportuit. Opus erat forma tali, qualem deſcripſi, in eademque totius argumenti, et ſingularum figurarum, ad id pertinentium, protypon, rudi certe manu e ligno factum, imprimendum, aut radio quodam delineandum, et poſt excauandum. In illam, bene ſiccatam, infundebatur metallum liquefactum: quod refrigeratum, inde exemtum, et oculis acutis ingenioſisque examinatum, manus ipſius exercitatiſſima ſcalpro vel caelo, ſi quo loco neceſſe erat, effinxit et perpoliuit ita, vt artifici quidem laudi et gloriae, aedificio vel inſtrumento, cui affigebatur, ornamento eſſet ſingulari. Denique ſiquod Dei Deaeue ſignum, hominis ſtatuam, vel protomen aeneam conficere ſua ſponte volebat, vel quodammodo iuſſus erat artifex celeber et ingenioſus; hic ante omnia fecerit, neceſſe eſt, Dei, vel hominis eius, cuius os et vultum exprimere debuit ipſius ectypum, protypon, ſiue proplasma, idque adamuſſim ei ſimili, eaque magnitudine et altitudine, quam ipſius formandi cauſſae et rationes poſtulabant. Tum ex maſſa bene praeparata, qualem ſupra dixi, vel huic ſimili, negotioque prorſus apta, conficiunda fuit forma paullo altior et latior, quam qua eſſet ipſum protypon, ſiue exemplar ligneum, et hoc ei, adhuc humidae et molli, recte et prudenter imprimendum, vt in ea Dei, vel hominis figuram et faciem quodammodo agnoſcere poſſes. Ac ſiqua eius lineamenta ex protypo, ſeu exemplari impreſſo, non ſatis conuenire videbantur figurae formandae; artifex radio, ſcalpro, vel inſtrumento alio, in forma adhuc molli et humida, emendare, addere,

demere, poterat et ſolebat, quae a vero aberrare, et tam Dei, vel hominis ori et vultui, quam artis legibus, aduerſari cenſebat: in quibus emendandis tanto plus ſtudii et ſolertiae adhibebat artifex, quanto ingenioſior atque eruditior erat, et laudis ſimul appetentior. Qualis fuiſſe videtur Lyſippus, a quo ſolo fingi voluit Alexander Magnus (Plin. H. N. l. XXXV. c. 7. Cicero ad Diu. l. V. ep. 2. Horat. Epp. l. II. ep. 1. v. 239): cuius mirum in hoc rege fingendo ingenium et artificium celebrauit Archelaus, hoc epigrammate (Antholog. l. IV. c. 8. p. m. 314):

Τόλμαν Ἀλεξάνδρου καὶ ὅλαν ἀπεμάξατο μορφὰν
Λύσιππος· τίν' ὅδὶ χαλκὸς ἔχει δύναμιν;
Αὐδάσοντι δ' ἔοικεν ὁ χάλκεος ἐς Δία λεύσσων,
Γᾶν ὑπ' ἐμοὶ τίθεμαι· Ζεῦ, σὺ δ' ὄλυμπον ἔχε.

Nec minus elegans eſt in eiusdem Alexandri ſtatuam, a Lyſippo factam, epigramma Poſidippi (Antholog. l. c.):

Λύσιππε, πλάϛα σικυώνιε, θαρσαλέη χεὶρ,
Δάϊε τεχνῖτα, πῦρ τοι ὁ χαλκὸς ὁρῆ
Ον κατ' Ἀλεξάνδρου μορφᾶς χέες. οὐκ ἔτι μεμπτοὶ
Πέρσαι· συγγνώμη βουσὶ λέοντα φυγεῖν.

Forma igitur recte et ſolerter parata ſiccataque, aes neceſſarium vna cum terra Cadmia et aliis admiſcendis liquefactum eſt, et, quo ſupra dixi, modo in formam fuſum. Signi, ſtatuae vel protomes figuram, intrinſecus plerumque inanem, refrigeratam et e forma extractam ſtatuarius deinceps accuratiſſime examinabat, errores leuiuſculos ſcalpro, vel caelo emendabat et tollebat, lineamentorum ductus non ſatis profundos vel latos, inſtrumentis idoneis imprimendo, tere-

terebrando, praecidendo, adamussim formabat ita, vt ne acutissimi quidem et seuerissimi censoris oculus quidquam in opere suo recte et vere vituperare posset. Quo facto id haud dubie politum et laeuigatum est, nec raro etiam vernice illitum, et aduersus rubiginem quasi munitum. Huiusmodi statuas quasdam inauratas esse, obseruauit ERNESTIVS longe celeberrimus. Possem, si opus esset, exemplis ab eo indicatis addere multo plura: sed non nisi hoc vnum memorare placet, Illustrissimum Caylum (Récueil d'Antiquités, Tom. V. p. 63.) descripsisse caput hominis Aegyptii, cuius os inauratum fuerit. Quae ratio profecto sic comparata est, vt probabilem pulcri et venusti sensum et intelligentiam haudquaquam demonstret, adeoque non laude vel imitatione, sed reprehensione dignissima videatur. Id quod declarauit hominum peritissimorum iudicium, quum Alexandri Magni statuam, a Lysippo fictam, inaurari iussisset Nero, imperator, ea admodum delectatus: iudicarunt enim, etsi auro addito statua facta esset pretiosior, eius tamen hoc ipso periisse artis gratiam (Plin. H. N. l. XXXIV. c. 8. p. 652). Quibus, de toto hoc negotio disputatis, duo reor adiici et posse, et debere. Nimirum Lysippum, Phidiam, alios Graeciae artifices celeberrimos, si legis statuas ex aere finxisse, caue, existimes, eos ipsos aeris liquefaciendi, miscendi atque fundendi negotium in se suscepisse, et curasse. Hic labor ad ipsos haudquaquam pertinuit, sed ad operas inferiores; ipsi potius, quod longe difficillimum erat, perficiebant: scilicet proplasma, vel exemplar, et formam, in quam metallum erat infundendum, recte et exacte conficiendi curam gerebant, ac reliquo tandem negotio praeerant, videbantque, vt singula recte, ordine, et artis legibus conuenienter administrarent operae rudiores, vel tirones. Alterum, quod adhuc

monendum esse opinor, spectat singularem artificum nonnullorum rationem, qua operis suscepti partes non omnes simul fundere, sed quasdam sigillatim fictas et elaboratas, ferruminando reliquis tandem addere solebant. Quod vti in statuis colossalibus fieri oportuit, vt in Apollinis Rhodii colosso, quem *Chares*, Lysippi discipulus, et *Laches*, vterque Lindius, ille inchoasse, hic tandem perfecisse memoratur (v. Büsching's Entwurf einer Geschichte der zeichnenden schönen Künste, S. 96): ita hoc idem in variis, quae ex oppidi, eructatis a Vesuuio cineribus et scoriis liquefactis, siue *Lava* (sic vocant Itali), velut obducti et obruti, nimirum Herculani, tanquam sepulcro, in lucem prolata sunt, operibus factum esse plane apparet (v. Pitture di Ercolano, Tom. V. tab. 27. 28; tab. 61. 62; tab. 71. 72); siquidem in eorum capitibus capillorum atque cincinnorum ferruminatio prorsus aspectabilis est, adeoque id, quod dixi, in dubium reuocari nequit. Quibus breuiter expositis, qualicunque huic excursui terminos constituere visum est.

EX-

EXCVRSVS XX

AD

PART. II. CAP. V. ET VI

DE

VASIS ANTIQVIS.

Thericleorum vasorum mentionem duobus quidem libelli sui locis (p. 82. et 90. pr. sed p. 67. et 74. post. ed.) iniecisse video ERNESTIVM immortalem; sed neutro de eorum ratione, elegantia, praestantia, ac multo minus de vasorum priscorum varietate, formis ingeniosissimis, rei naturae aptissimis, et ad adspiciendum iucundissimis, generatim atque vniverse quidquam exposuisse. At enim quum in eorum tantum non omnium fabrica, plurimum ingenii, intelligentiae, et pulcri venustique sensus eluceat: consilii sane, quo excursus qualescunque meos, iterando libello Ernestiano subiiciendos duxi, ratio postulat, quin flagitat, vt singulares eorum proprietates paucissimis tangam, et quod de iis in vniuersum est tenendum, cum lectoribus communicatum eam. Ac primum quidem, quoniam supra *Thericlea vasa* nominaui, de horum cognomento nonnihil differendum erit. Hoc eis impositum est ex auctore, siue artifice, qui vasa similia primus cogitauit atque finxit. Plinius haec de eo memoriae prodidit (H. N. l. XVI. c. 40. p. 35. vol. 2. opp.): *Celebratur et Thericles nomine, calices ex terebintho solitus facere torno*, cet. Sed caue, ne eius auctoritate permotus, hominem

 credas

credas gyratorem, τορνευτὴν, fuiſſe. Namque non tantum *Harduinus* in nota ad h. l. obſeruauit, *Thericlem* ab aliis ſcriptoribus *figulum* vocari, ſed etiam *Richardus Bentleius*, philologus et criticus Britannus doctiſſimus, teſtimoniis allatis compluribus hoc idem teſtatum fecit (v. Diſſertation upon the Epiſtles of Phalaris: with an Anſwer to the objections of the Honourable Charles Boyle, Lond. 1699. p. 109. ſs.). Quin hic erroris Pliniani fontem ſimul animaduertit, ipſumque oſtendit manaſſe ex eo, quod *Theophraſti*, ducis ſui, verba, et verum eorum ſenſum, non recte intellexerit: ſiquidem hic generatim et vniuerſe affirmauit (Hiſt. Plant. l. V. c. 4.) *τορνεύεσθαι ἐξ αὐτῆς* (ſcil. Τερμίνθου) *κύλικας Θηρικλείους, ὥστε μηδ᾽ ἂν ἕνα διαγνῶναι πρὸς τὰς κεραμέας*, i. e. *torno fabricari ex illa* (terebintho) *ſolere calices Thericleos, quos nemo dignoſcere poſſit ab eis, quos figuli finxiſſent.* Quae Theophraſti verba ab interpretatione Pliniana quam maxime diſcrepant. Poſthaec teſtimonia adfert clariſſima, ex Heſychii Lexico, ex Etymologico M. ex Eubuli reliquiis apud Athenaeum, et huius ipſius verbis, quae *Thericlem figulum Corinthium*, et Ariſtophani, comico, aequalem fuiſſe, plane demonſtrant. Ex his omnibus efficit cogitque Bentleius, idque rectisſime atque veriſſime, ſiquid intelligo, effici cogique poteſt, *Thericlem*, figulum, eiusmodi vaſa, et horum formam elegantiſſimam, partes et dimenſiones, ornatum, cet. primum excogitaſſe, atque ex argilla quam pulcerrime finxiſſe, ideoque *Thericlea* nominata eſſe vaſa: alios vero artifices, quum haec cernerent hominibus tantopere placere, ab eisque cupidiſſime emi; eorum rationem et formam ingenioſe imitantes, e ligno, aere, aliis pretioſioribus metallis, confeciſſe et vendidiſſe. Quod idem vidit et affirmavit etiam ὁ πάνυ ERNESTIVS (l. c. p. 90. vel 74. ed.

ed. post.): quorum duumuirum longe eruditissimorum in sententiam abire nec ego dubito, nec quisquam alius, opinor, dubitabit. His super vasis disputasse quoque *Larcherum*, Franco-gallum perquam celebrem, et ipsius dissertationem in Academiae Reg. Parisinae Inscriptionum et Bellarum Litterarum commentariis exstare, noui quidem, sed mihi nondum contigit, vt eam legere, et quae viri eruditissimi de ipsis sententia sit, inde perspicere possem. Quare de hoc vasorum genere nihil amplius addam: contra vero ad ea progrediar, quae de vasis in vniuersum dicenda esse arbitror. Nimirum prisci homines, Graeci potissimum, qui Gratiis nunquam non egregie litasse dicuntur, quum abundare coepissent diuitiarum copia, non tantum aedificia et alia monimenta publica, sed etiam vasa et vtensilia, sacra, profana, domestica, omnia, tanta arte, tanta elegantia, tanto ornatu exstructa et confecta voluerunt, vt vel his in rebus, per se minutis ac fere spernendis, multa inesse videas, quae discere et imitari, et ex quibus pulcri venustique sensum et intelligentiam probabilem deriuare possis. Quare huiusmodi reliquiae non minus, quam maiora illa artis stupendae opera, ad τοῦ *Antiqui* classem, iure quodam suo, referri possunt ac debent; et hoc nomine dignae sunt, quas, quibus fortuna fauet, colligant, in museis suis vel publicis adseruent, dataque occasione interpretentur, aut viros, harum rerum peritos, interpretari iubeant. Quod *Borgiam*, purpuratum curiae Romanae patrem eminentissimum cum maxime facere constat, qui exteros adeo viros eruditos, Germanos, Danos, alios, adducit, vt similia thesauri sui, rerum exquisitarum locupletissimi, κειμήλια interpretentur, interpretata in lucem exire, ac diuulgari sinant. Cuius generis commentarios plerosque mihi per viros celeberrimos meique amantissimos,

mos, Morellium et Marinium, ex Italia missos esse, gratus agnosco et praedico, eoque nomine non sine caussa mihi plaudo. Plurima igitur hominum priscorum vasa, quae aetatem tulerunt, et integra ad nos peruenerunt, tum forma et structura, qua laborata sunt, elegantissima, tum figurarum, arte singulari in eisdem siue pictarum, siue caelo ita, vt emineant, quasi praecisarum, praestantia, iustaque collocatione, dimensione, actione et gestu, non solum artificem, sed etiam virum quemque eruditum, delicias similes haud spernentem, delectare possunt, et ad res non paucas prodesse. Vt enim ab eorum forma et structura longe suauissima discedas, figurae, ornatus caussa, in eis pictae, vel caelatae, subministrant multa, quae ad Graecorum μύθους et historiam, Winkelmanno certe iudice, quin ad multa poetarum et aliorum scriptorum loca rectius intelligenda atque interpretanda conducunt. Forma tamen et structura vasorum et vtensilium, de quibus quaeritur, in primis digna est, quam omni, qua fieri potest, animi contentione idemtidem contemplemur; vtpote cuius caussa et origo non tam ex casu et euentu inopinato, vel artificis phantasia temere concitata, quam ex ipsa rei natura, repetenda est. Etenim singularis veterum artificum pulcri et venusti sensus, haudquaquam vituperandus, atque limata et subtilis intelligentia ipsos eo ferebant, vt vel in illis formandis, quantum et quo modo fieri poterat, naturam imitarentur. Ex quo solo pendet omnis eorum elegantia et venustas, quam aetatis nostrae artifices nimiis argutiis, saepenumero satis operosis, sed e natura haud petitis, nullo modo adsequuntur; quamque in eis vel maxime spectare et considerare decet eum, cui contingit, vt aliquam eorum copiam videndi, contemplandi et examinandi opportunitatem adipiscatur. Id quod facere iusserunt

Christi-

Christius, *Winkelmannus*, *Lippertus*, triumuiri nequaquam ſpernendi, quorum auctoritatem in hoc loco explicando, recte, opinor, ſequi licet. Nimirum ſingulae vaſorum priſcorum formae, quin partium ſingularum, ea efficientium, vt, pedis, corporis, marginis, operculi, anſarum, cet. rationes, ornamentorum denique, non minus ingenioſorum, quam aptiſſimorum proportiones atque dimenſiones, quibus vel ſurgere et accreſcere, vel decreſcere et conſidere videntur, omnes luculentis, iuſtis certisque probabilis et exquiſite boni guſtatus (liceat mihi hoc vti vocabulo) praeceptis nituntur ac legibus: quo fit, vt adoleſcentulo pulcro et venuſto aſſimiles ſint, cuius nec ſcientis, nec cupientis e geſtu vel habitu quocunque, gratioſiſſimi quid elucet, ac ſpectantes mirifice delectat. Vaſorum illorum partes, quas dixi, omnes et ſingulas conformat linea non niſi vna, quae nec circulus eſt, nec ellipſis, nec hyperbola, ſed parabola, quam geometrae vocant, quamque vel in minutiſſimis ipſorum particulis animaduertere poteſt oculus a natura bene informatus. Qua quidem linea cogitari et reperiri poteſt nulla magis idonea et accommodata ad deſignandum et exprimendum id, quod oculos molliſſime et leniſſime ferire, ac veluti vndae, aura placidiſſima concitatae, ſenſim, ſine ſenſu fere, iam aſſurgere, iam deſidere videtur. Huiusmodi parabolae, maiores, minores, et ſingulae earum particulae, ingenioſe, apte, et pulcri venuſtique ſenſui conuenienter coniunctae ac conſociatae, efficiunt omnes talium vaſorum partes, vti pulcriora adoleſcentulorum corpora, et ſingulos horum artus, ita vt potius pedetentim adhuc ſuccreſcere, quam reapſe perfecta et abſoluta eſſe videantur; neque oculi, eiusmodi corpora et vaſa contemplantis, inſpectio ſemicirculis plene ductis quaſi concludatur, aut per angulos

minus iucundos coarctata, in horum apicibus velut haerens et affixa perstare debeat. Quare vasorum, eiusmodi arte, ratione et intelligentia fabricatorum, spectator in eis animaduertat, necesse est, tam simplicitatem, non humilem et paene seruilem, sed ingenuam et grauem aeque, ac nobilem, quam vicissitudinem et varietatem oculis iucundam, neque tamen a naturae veritate, exquisitaque elegantia aberrantem: siquidem singulae eorum partes, haec omnia efficientes, quam optime, et ipsorum naturae consilioque, quam fieri potest, conuenienter et accommodate copulatae ac consociatae, spectatoris oculos specie, praeterquam rei spectandae pulcritudine atque elegantia, afficiunt nulla. Hinc longe iucundissimus oculorum, eiusmodi formas elegantiores intuentium sensus, admodum affinis est sensui voluptatis eius, qua, cutem molliusculam et tenellam mulcendo, frui, et suauiter perfundi solemus: atque ideae nostrae, quoniam ex vno simplicique corpore velut emanant, fiunt tam faciles et explicatae, vt eas illico et sine multo labore comprehendamus. Quum autem omne id, quod facile et explicatum est, hoc ipso sese, et quod comprehensibile est, commendet ac placeat; contra quod arduam, operosam, affectatamque difficultatem sapit, haud secus, ac iusto maiores alterius laudes, quibus nos ei vnquam pares futuros desperamus, maximopere displiceat, eo quod priori aduersum et prorsus oppositum est; quin, quum ipsa natura, impensarum etiam ratione habita, viam ad prius appetendum veluti pandat et muniat, quandoquidem id, quod natura suppeditat, plerumque vilioris esse solet pretii, quam quod non sine multo difficilique labore vel arte paratum est: is, quem dixi, oculorum sensus iucundissimus, iusta rei inuestigatio, ac sumtuum non leuis, non exigua discrepantia, caussae quam effica-

efficacissimae esse debeant ad animos nostros permovendos, vt tandem in eiusmodi vasis conficiendis ad priscorum simplicitatem pulcram, elegantem, reique naturae aptam reuerti ne dedignemur. At vero hoc vix sperare licet. Graeci enim isti, homines arte atque ingenio plurimum pollentes, in eo, quod pulcrum, quod elegans esse peruiderant, propterea quod vere pulcrum non nisi vnum est, persistere volebant, nec in eo, vti in corporis vestiendi more et ratione, quidquam mutare: nos contra, vt aliis in institutis, ritibus atque moribus, ita in hoc quoque vasorum formandorum negotio, mentem nostram figere nec possumus, nec volumus, sed inepto alios imitandi studio occaecati et abrepti, temere oberrare, ac puerulorum more, quod hoc temporis momento quasi aedificamus, proximo rursus diruere solemus. Qua mentis mutabilitate quum nos praeditos esse inter omnes constet, qui vnquam fiat, vt in vasorum conficiendorum ratione simplici et eleganti perstare velimus? Verum vtcunque haec vel existimentur, vel accipiantur tam ab artificibus, quam ab hominibus vasorum copia delectari suetis, mihi perinde erit: ego, quam exorsus sum, rem dicendo persequar, et quid, praeter dicta, hoc de loco sciendum reor, paucis exponam. Nimirum ad credendum facile est, priscos artifices, vbi vas adeo pulcrum, venustum et eximium, non tantum ex argilla, et Samia potissimum terra, sed etiam e metallis variis, marmoribus, gemmis, formare adgrediebantur, non sine proplasmate aliquo rem inchoasse; quin hoc idem, vt recte politum ac laeue foret, tandem tornasse. Quod in aliis LIPPERTVS noster affirmauit: qui sese, Henrico, Principi atque heroi Borussorum immortali, vendidisse memorat duas amphoras, ex Alabastro dutiore, siue Alabastrite, fabricatas: easdemque non solum linearum,

rum, parabolae quae vocantur a geometris, more modoque curuatas et finuatas, fed etiam tornatas; fiquidem ipfe, vti et alii, in eis accuratius confideratis, hic, illic, leuia torni veftigia, vsque ad anfas pertinentia, animaduertiffe fibi vifi funt. Talia etiam apparere dicuntur in vafe vitreo, fingulari arte et ratione fic fabricato, vt vafculum extrinfecus, tamquam reti quodam cinctum, muniatur. Cuius figuram auctor inclutus, qui Winkelmanni Hiftoriam Artium prior Italice vertit, et Mediolani in lucem exire iuffit, omnium primus, quod quidem fciam, defcripfit, et tabulae aeneae incifam fimul diuulgauit (vol. I. p. 31). Simili certe proplasmate, fiue protypo, pofthac opus fuiffe credo, quum argumenti cuiufpiam figuras, fiue ornamenta alia, fcalpello, fcalpro, vel caelo, in eis formare atque penitus elaborare vellet, aut deberet artifex; vt ante oculos haberet exemplar, quod ipfius manus firma et exercitata fcalpendo vel caelando imitaretur. Eiusmodi exemplar, vel certe pictura in buxo, non minus requirebatur, fiquod vafculum in gemmis fcalpendum erat, vel caelandum. Exftare enim lapillos, in quibus vafcula, ingeniofe et arte exquifita, incifa et formata reperiantur, demonftrat *Lippertus* compluribus Dactyliothecae locis. Eorum autem, quibus figilla περιφανῆ, emblemata vocari fueta, extrinfecus illigari folebant ita, vt etiam reuelli poffent, alia erat ratio: huiusmodi enim figilla, antequam illigarentur, protypis fingularibus, quodque fuo, conuenienter formari oportuit. Atque haec quidem de eleganti vaforum prifcorum forma, eademque formandi ratione.

Varia et diuerfa erat, quam eorum artifices vfurparunt, materia. Omnium prima haud dubie fuit argilla, aut terra alia, ab ipfo *Thericle*, qui κεραμεὺς a fcri-

a ſcriptore non vno vocatur, recte praeparata et ſubacta, atque huiusmodi vaſis elegantioribus formandis deſtinata. In quo ipſum imitatores non paucos habuiſſe, ecquis eſt, qui dubitare poſſit? Satis celebrata ſunt vaſa e terra Samia, Campana, cet. eleganter ficta. Verum vbi operum figlinorum ratio et vſus, breui tempore, homines condocefecerat, ea, quamquam ſummo ingenio, artificioque mirifico formata, facile frangi ſolere, adeoque artificis monimentum vna cum ipſis interire: alii aes, argentum et aurum, tam vnumquodque purum et ſimplex, quam haec tria varia ratione et proportione miſta (vnde aes, quod Corinthium vocabatur, fuit conflatum) huic conſilio adhibere, et ex his fabricari coeperunt vaſa, quae non perinde frangerentur, ac figlina. Artifices alii, ſiqua eorum ex marmore, alabaſtrite, vel gemma alia formabant, hoc tantum ſequuti videntur, vt in eis artis ſuae ſingularis documentum exſtaret, et ſimul foret, quod homines lautiores in deliciis habere poſſent. Eis quotidie et inconſiderate vſum eſſe, credo neminem. Ditiorum et elegantiorum in abacis, vna cum deliciis aliis, non niſi ornatus et munditiei, quin vanae gloriae cauſſa, appoſita videntur: ſiquidem ſatis inter omnes conſtat, et vel ex vnius Trimalchionis deſcriptione Petroniana (p. m. 48. ſſ.) apparet, luxum Romanorum, ſi non omnium, certe locupletiorum, eo progreſſum eſſe, vt vel matulas, lances, lares argenteos haberent. Sed plura de hac re, quoniam Romanorum luxum non de induſtria dicendo perſequor, hic addere non eſt neceſſe.

Vaſorum illorum vſus varius erat et multiplex. Alia omnis generis liquoribus adſeruandis erant deſtinata, vt, dolia, amphorae; alia frugibus aliisue nutrimentis ſiccaneis: alia horum menſuras efficiebant.

Porro

Porro alia vſurpabantur in ſacris faciundis, vt, tripodes, praefericula, paterae, aquaminaria, acerrae, thuribula, cet. alia accommodata erant negotiis domeſticis curandis, vt, coquendis et apponendis cibis, potui adferendo et porrigendo, cet. eademque vel tironibus notiſſima: alia noctu inſeruiebant aedibus vel cubiculis luce neceſſaria illuſtrandis et complendis, vt candelabra, lampades; alia ad veſtimentorum ornatum; alia ad mundum muliebrem; alia ad luſum, muſicam, cet. pertinebant: alia mortuorum oſſibus cinerique condendis apta, in ſepulcris et columbariis deponebantur: alia denique, quod iam dixi, non niſi mundi pompaeque cauſſa in abacis collocanda, hominum ditiorum lautiorumque vanam inanis gloriae ac ſplendoris cupiditatem palam faciebant. Eorum nonnulla de tempore, in tempore, hic, illic, effoſſa ſunt, et a viris, harum rerum amantibus, ſtudioſe adſeruata, vel in muſea publica illata: copiam tamen tantam et tam eximiam, vno loco hodie non facile invenies, quantam et quam eximiam continet muſeum longe ditiſſimum, quod duo vtriusque Siciliae reges potentiſſimi, pater et filius, inſtruere et locupletare coeperunt ſtatuis, protomis, tabulis pictis ex aedificiorum parietibus, hic, illic, reſectis, operibus muſiuis, et omnis generis vaſis, quae omnia per duodeviginti fere Secula in oppidis, Herculano et Pompeiis, fato prorſus ſingulari et deplorando obrutis, latuerunt, et tandem demum ex eorum quaſi ſepulcro in lucem prolata ſunt. Et optabile profecto eſt, vt vaſorum (quorum nonnulla iam indicauit Winkelmannus) aeque, ac tabularum pictarum, protomarum, aliorumqne monimentorum aeneorum picturae, tabulis aeneis inciſae, diuulgentur, eaque via et ratione opus ſplendidiſſimum, ante complures annos inchoatum perficiatur, et tam viri eruditi, quam artifices, quod

quod et delectare, et prodesse quam maxime possit, adipiscantur.

Superest, vt de officinis, quae propter eiusmodi vasa ingeniosa et affabre facta, potissimum celebratae sunt, nonnihil dicam. In eis haud dubie excelluit *Corinthia*, quae Thericlem, figulum, auctorem, et praestantissimos posthac artifices habuit, qui e varii generis metallis eodem ingenio, eadem arte formarunt, quod ille ex argilla primum fingere inchoarat. Hinc *vasa Thericlea* et *Corinthia*, longe celeberrima fuisse, et summa cupiditate conquisita esse, nemo facile est, qui ignoret (v. Sueton. Aug. c. 70. et Tiber. c. 34). *Delus*, insula, Apollinis templo celebris, ideoque a Graecis tam singulis annis, quam quarto quoque anno adiri sueta, vt ludis solennibus ibi statis interessent, itidem nutriuit artifices ingeniosos, qui vasa exquisitioris artis et venustatis, ex varia materia fabricarent, propterea quod illa, quam dixi, solennitas, vndiquaque homines peregrinos, ludorum visendorum gratia, allexit; qui, vt merces alias, ita vasa coemere solebant, et domum secum reportare (v. *Barthelemy* Voyage du jeune Anacharsis, Tom. VI. p. 354. 363. ed. formae octopertitae). Quae res fecit, vt Delos emporium esset non contemnendum, atque *Deliaca vasa* et *supellex* ab hominibus lautioribus conquirerentur (v. Cic. pro Roscio, c. 46; Verrin. II. 34. 72. it. Plin. H. N. l. XXXIV. c. 2). Alios praeterea Graeciae artifices, vt, *Athenienses, Sicyonios, Aegineticos, Thebanos*, itidem vasa elegantiora finxisse, licet ex eo suspicari, quod Corinthios et Deliacos hoc nomine in primis celebrari viderent: quorum gloria homines laudis studiosissimos appetentissimosque haud dubie perpulit, vt eandem rem intentatam ne linquerent. Sed quaestionem copiosius dicendo persequi iam non placet.

In

In Italia reperiuntur etiam vaſa formae non ſpernendae, quae pondere ſunt leuiſſimo, et pictura, non excellenti quidem illa, ſed tamen ad diſcendas res quam plurimas fructuoſa. Reperiuntur alia in Etruriae agro, alia in Campano: et aetate noſtra viri quidam eruditi controuerſiam de eo, num vtraque, an priora tantum, recte et vere *vaſa Etruſca* appellare poſſis et debeas, habere coeperunt. Qui poſteriora negant recte Etruſca dici, ea Graecis artificibus, propter Magnae Graeciae vicinitatem, tribuere malunt: qui vtraque contendunt Etruſca eſſe, figurarum in eis pictarum ſimilitudinem, veluti documentum luculentiſſimum in primis vrgent. Verum enim vero meum, qui eiusmodi vaſa nec contemplari et tractare, nec inter ſeſe, et altera cum alteris contendere poſſum, non eſt, hanc litem componere: nec res mihi tanti videtur, vt multum temporis et operae in ea indaganda et dirimenda conſumatur. Atque haec quidem de vaſis antiquis, quorum ERNESTIVS immortalis mentionem ſolummodo fecit; iuſtam vero et doctam loci inueſtigationem inſtituere Viro Summo aut non libuit, aut per negotia plura et grauiora non licuit.

EX-

EXCVRSVS XXI

AD PART. II. CAP. VII

DE

PICTVRA.

Quod IOANNES GILLIES, Britannus eruditissimus, in Graeciae antiquae historia, lingua ipsius vernacula descripta (The history of Ancient Greece, its colonies and conquests, from the earliest accounts till the division of the Macedonian Empire in the East. Including the history of Litterature, Philosophy and the fine Arts) primis statim verbis, de hominibus, alicuius societatis ac reipublicae conditoribus pronuntiat, hos tum quidem non nisi de eo, quod praesens sit, cogitare, quod iam praeteritum, obliuisci, quod futurum, nihil pensi habere, quin res a semet ipsis, et magis etiam a maioribus gestas, prorsus negligere, atque oblinioni dare: hoc idem recte et vere potes etiam dicere de artis qualiscunque inuentoribus, primisque cultoribus; quippe qui nec ipsi memoriae produnt, nec alios memorare iubent, num forte quadam (quod saepenumero accidisse constat) an caussa qualicunque necessaria in eam inciderint; quae prima illius initia et quasi elementa fuerint, quae posthac incrementa, et per quos viros, quibus praesidiis, ac quo tempore ad altissimum perfectionis gradum ea denique peruenerit. Id quod, vt artium aliarum, ita picturae, historia plane demonstrat: cuius origo vera tam densis premitur tenebris, vt ne populum quidem, nedum hominem omnium primum,

cui eius debeatur inuentio, indiciis certis, nec addubitatis, oſtendere, et velut digito monſtrare poſſis. Sunt quidem, qui, quoniam artium omnino omnium principia ſolent ab Aegyptiis repetere, picturam quoque ab eis inuentam, et aliis cum populis poſthac communicatam, a Graecis vero ita excultam perfectamque eſſe contendant, vt hi non temere, ſed iure quodam ſuo, exclamare potuerint:

Venimus ad ſummum.

Qua in haereſi fuit Caylus Illuſtriſſimus, vna cum plerisque popularibus: quorum quidam ſunt, qui Graecis adeo ingrati animi notam inurere haud vereantur, propterea quod ſeſe illam ex Aegyptiis didiciſſe, non quouis loco, non quauis opportunitate fateantur. Quae reprehenſio cui iuſta videtur; is Aegyptios non minus vituperet, neceſſe eſt, ſi RIEMII, viri erudițiſſimi et ingenioſiſſimi ſententiae, paucis abhinc annis in commentatione *ſuper pictura veterum* (v. Excurs. XV. p. 205.) pronuntiatae adſtipulandum eſſe cenſeat. Hic enim Aegyptios, quos negat eſſe αὐτόχθονας, ſuas non tantum origines, ſed etiam architecturae et picturae exemplar, rationem, atque praeceptiones ab Indis, ſtirpis ſuae parentibus, accepiſſe contendit. Vnde inanis gloriae, vanaeque iactantiae ſtudium, quo populus Aegyptiacus nunquam non laborauit, hic, illic, inſectatus eſt, atque ſuperbos Iſidis cultores non niſi Indorum imitatores, eosque parum ingenuos et ingenioſos, ſed non niſi *ſeruum pecus* (liceat mihi hac in cauſſa Horatianum illud adhibere) fuiſſe, argumentis nonnullis comprobatum iuit. Quorum vim et robur fateor mihi non tantum videri, quantum ea habeant, neceſſe eſt, quae aſſenſum qualemcunque meum efficere, et quaſi cogere poſſint ac debeant. Sed nouae huius coniecturae cauſſam et argumenta

nolo

nolo in praesenti accuratius aestimare: satius, reor, est, fateri, rem mihi nondum liquere, eamque integram lectori cognoscendam esse, quam multis verbis vtramque in partem disputare, neque tamen sententiam iustam, veroque conuenientem dicere posse. In quaestione super euento tam vetusto et tam dubio, quisque per se videat, examinet, decernat, necesse est: ne cui veluti praeiudicio aliquo meo effecisse videar, vt a vero sit aberratum. Ceterum hanc viri eruditissimi sententiam, quae hac opportunitate tangi tantummodo potest, leuique agi brachio, dignissimam esse censeo, quam quispiam vir eruditus, et rerum antiquitus gestarum amans, curiosius et seuerius indagando persequatur, nec, quid in ea vel verum sit, vel falsum, docere alios grauetur. Hoc equidem facile largior, parum, vel nihil fere inter Indicae et Aegyptiacae architecturae picturaeque priscae viam et rationem interesse: sed exempla, ab auctore ingenioso allata, tum pauciora sunt, tum ita comparata, vt mihi certe rem nullo modo cōficere videantur. Res similis meris conclusiunculis philosophicis, quantumvis acutis, effici ac demonstrari nequit. Verum ego nihil decerno: neque etiam per instituti mei rationem debeo.

Praeter hanc nouam et ingeniosam, quam dixi, sententiam, eodem commentario inquirit RIEMIVS celeberrimus in opinionem eorum, qui plasticen artium reliquarum omnium aetate primam fuisse, quin vel ipsum rerum figuras lineis describendi inuentum antegressam esse contendunt. Hanc olim iam *Pasiteles*, teste Plinio (H. N. l. XXXV. c. 12.) hanc nostra aetate *Winkelmannus* immortalis, hanc alii, ducem illum sequuti, affirmarunt. At enim vero ipsam addubitat, quin probabilem esse negat, idem ille scriptor

recentior, ratus, neminem quidquam bene, recte et artis naturaeque legibus conuenienter fingere e materia molliori posse, adeoque in plastice exercenda prudenter ac feliciter versari, nisi antea rei, quam fingere adgrediatur, figuram et formam lineis descripserit; adeoque velut exemplar habeat, quod intueri, et imitando, iusta partium singularum magnitudine et proportione, iustisque dimensionibus, formare possit. Id si de probabili opere plastico, eodemque perfecto et omnibus numeris absoluto, accipiendum est, nemo, reor, erit, qui ipsius in sententiam abire dubitet. Contra vero si ad plastices origines, et quasi infantiam, retro descendimus, et opera plastica tum ficta (quorum haud dubie superest nullum) mente tantummodo fingimus: admodum credibile est, eorum omnium prima homines rudes, sine exemplari, lineamentis extremis designato, ac forte magis et phantasiae vi, quam intelligentia exquisita ductos, formasse. Ita hodieque infantes agere videt, qui ipsorum lusibus adesse, eosque ludentes obseruare, persona sua non indignum existimat. Quorum vt quisque ingeniosissimus est, et natura sua ad fingendam e materia quacunque molliori, hominis, equi, vituli, aliorum, figuram aptissimus; ita maxime pulcram, et naturali speciei conuenientem, vel absque eiusmodi exemplari, vtpote quod lineis depingere nec curat, nec potest, e materia, circa quam versatur, producet. Quod multo magis existimandum de homine, rudi quidem illo et artis imperito, sed tamen adulto, viuidiori phantasiae impetu, et acrioris iudicii vi praedito. Qui si casu, seu forte, ferebatur ad rem quamcunque adspectabilem e molliori materia fingendam, haud dubie magis adhuc, quam puerulus, qualem dixi, rei, quae ipsius animo et phantasiae obuersabatur, faciem fingendo assequutus est, eamque formae naturali

rali propiorem et conuenientiorem effecit. Sed quum plastice sensim sensimque ad altiorem perfectionis gradum eueheretur per viros ingeniosos, pulcri venustique sensu ornatos: haud dubie perspectum est, hanc artem sine exemplari, lineamentis extremis iustisque descripto, nihil perfecti, nihil omnibus numeris ac dimensionibus absoluti, efficere posse; simulque coeptum, huiusmodi exemplaria ante accurate delineare, quam negotium, e molli materia quidquam fingendi, reapse inchoaretur, ne eius iam confecti vitia emendare necesse esset. Ex quo satis apparere arbitror, plastices negotium hodie rectius ac prudentius ab exemplari, quale saepius iam dixi, quam absque eo, inchoari. Sed vt hanc aetatis nostrae artificum viam et rationem maxime probabilem, quin necessariam, esse statuam; tamen non video, qui ex ea effici cogique possit, plastices auctorem omnium primum, ne primum quidem laboris sui periculum sine exemplari tentasse. Vt aliis in rebus efficiendis, ita in plastices quoque negotio, inuentorem aliter, ac hodie solent artifices, versatum esse, longe verisimillimum videtur. Neque alia ratione rem adgredi poterat, cui omnia et instrumenta, et praesidia quaecunque necessaria, non nisi per diuturnum vsum pedetentim inuenta, penitus defuisse oportet. Multi, quos his de rebus disputare videmus, eiusmodi penuriam animo non expendunt, ac temere existimant, ea omnia homini, rem primum periclitanti, in promtu fuisse, adeoque operum similium omnium primum, facile, et qua hodie via et ratione solet, perficere potuisse. Rem multo aliter accidisse, Daedali, Atheniensis, historia (si quidem vera, non merum commentum sit, quod Gallis, duumuiris celeberrimis, qui Ducis Aurelianensis gemmas scalptas caelatasque commentario perquam erudito et eximio

 illustra-

illuſtrarunt, viſum eſt, Tom. I. p. 287. ff.) luculenter comprobat: quippe qui demum, et ipſius ex ſorore nepos, Calus, ſerram, aſciam, perpendiculum, terebram, glutinum, ichthyocollam; contra normam et libellam, et tornum et clauem, Theodorus, Samius; figlinas Coroebus, Athenienſis; in eis orbem, Anacharſis, Scythes, vt alii, Hyperbius, Corinthius, inueniſſe dicuntur, (Plin. H. N. l. VII. c. 56). Quae inſtrumenta ad conficiendas res vtiliſſimas maxime neceſſaria, quum non niſi pedetentim ac ſero demum inuenta ſint: qui exiſtimare poteris, ea, quae plaſtices facile, recte et ordine exercendae negotium poſtulat, in promtu iam habuiſſe, aut extemplo cogitaſſe principem ipſius inuentorem? idque hanc potiſſimum ob cauſſam, quod ad luxum potius et ſplendorem, quam ad neceſſaria vitae tuendae praeſidia, pertinerent fictorum opera ingenioſe et affabre facta? Sed nolo cum quoquam contendere ſuper loco, nec admodum graui, et maxime dubio: merae coniecturae, quin concluſiunculae vel argutiſſimae, quod ſupra iam dixi, nihil efficiunt in cauſa, quae priſcorum auctorum teſtimonia clara et luculenta requirit. Igitur ad alia progredi placet. Idem auctor eruditiſſimus, quem ſaepe iam dixi, eadem commentatione diſputat etiam de *pictura et lineari, et encauſtica:* cuius vtriusque rationem paullo aliter, ac ſcriptores quidam antegreſſi cenſuere, ipſi explicare viſum eſt. De illa primum breuiter ſtrictimque diſſerendum. Omnis picturae initium haud dubie effecere lineamenta rerum extrema, quae hominibus ſubminiſtrabant lineae, quibus rei qualiscunque vmbram in pariete, in arena, in aliis conſpectam circumſcribebant (v. Quinctil. Inſt. Or. l. IV. c. 2). Ex quo hoc genus σκιαγραφίας nomen duxit, quod vſurpauit Athenagoras, ſcriptor non temere ſpernendus, qui Sauriam, Samium, hanc

deline-

delineandi rationem inueniſſe et introduxiſſe teſtatur (Legat. pro Chriſtian. p. 130. ed. Rechenberg). Quo viſo, longius, eodem auctore, (l. c.) progreſſus eſt Crato, Sicyonius, qui in tabula dealbata, viri et mulieris vmbram colore, neſcio quo, delineauit; quique hoc ipſo primam picturae μονογράμμου tabulam feciſſe putandus eſt. Haec ratio quum hominibus ignaris et valde rudibus mirifice placeret, nec pauci exacta facierum ſimilitudine delectarentur: artifices ingenioſi exſtitere, qui eiusmodi picturas in tabulis, quisque ſua, meris lineis extremis circumſcriberent, rerum delineandarum vmbram in puluere, pariete, aqua, aliis obſeruatam, non amplius imitantes. Inde factum, vt Nonius Marcellus (Cap. I. num. 168. ed. Gothofred.) ſcriberet: *monogrammi dicti ſunt homines macie pertenues ac decolores: tractum a pictura, quae prius, quam coloribus corporatur, vmbra fingitur;* et vt Tullius Epicuri Deos ingenioſe ac lepide appellaret *monogrammos* (Nat. Deor. l. II. c. 23. conf. Lucretius de Rer. Nat. l. V. v. 149. ſ.): quos etiam, niſi me omnia fallunt, reſpexit Lucilius, his verbis: *Quae pietas? monogrammi quinque adducti pietatem vocant;* quae Nonius (loc. cit.) ſeruauit. Quibus ex figuris monogrammis poſthaec natum eſt picturae genus id, quod monochromaton appellarunt ſcriptores. Cuiusmodi picturae μονοχρώματοι ſingulis tantum coloribus fuere pictae, quod recte et vere affirmat ERNESTIVS ὁ πάνυ· eas vero etiam *lineares* vocari poſſe, ac debere, qui hoc exiſtimauerit, praeter RIEMIVM eruditiſſimum, equidem ſcio neminem, ſi ab *Harduino* diſcedam, quem ille contendit in nota ad haec Plinii verba: *iam tum ſpargentes lineas intus* (H. N. l. XXXV. c. 3. p. 682.) veram, vel certe veriſimilem huius picturae rationem quodammodo vidiſſe atque deſcripſiſſe. Auctorum, qui de artium ingenioſarum originibus, progreſſu, incrementis, ra-

tionibus ſcripſerunt, plerique, et in his immortalis ERNESTIVS (Part. II. c. 5. §. 1.), *picturam linearem* exiſtimant nihil amplius fuiſſe, quam *artem rerum ſingularum lineas extremas recte et intelligenter circumſcribendi (l'art à deſſiner).* Contra STEPHANVS FALCONETVS, ſtatuarius eo nomine celeber, quod Petropolin vocatus, Petri I. ſeu Magni, imperatoris Ruſſici, ſtatuam equeſtrem ex aere fundere iuſſus erat, et quod Plinianos Hiſtoriae Nat. libros XXXIV. XXXV. et XXXVI. gallice factos, notisque illuſtratos, vna cum aliis commentationibus, ad Artium, quas vulgo *fingentes* appellant, rationem pertinentibus, vulgauit, in eo, quem paullo ante dixi, Pliniano loco vertendo, vſurpat *la peinture lineaire;* verba ſequentia, per Harduini notam illuſtrata, ſic reddit: *mais pourtant ils répandoient déjà quelques traits en dedans* (l. c. Tom. I. p. 125): ſed in obſeruationibus nihil, ſententiae ſuae explicandae cauſſa, addit. Vnde ad ipſum *Harduinum* atque RIEMIVM celeberr. abeundum eſt, ſi, quid ipſi per hoc picturae genus intelligendum cenſeant, diſcere velimus. Alter in nota ad verba ſupra indicata, haec ſcripſit: „Altera haec „pictura linearis eſt, rudiore illa perfectior, quae „primo loco explicata eſt: nam illa lineis tantum „fiebat comprehendentibus exteriorem pingendae rei „ambitum:“ (quas lineas Franco-galli *les contours*, Itali, *li contorni*, nos vernacula noſtra, *die Umriſſe*, appellamus): „haec plurimas addebat alias, intus pro „vmbrae ratione ſparſas. Nominatur haec alias etiam „graphis, Graeca imitatione. Vitruuius l. I. c. 1. vbi „loquitur de architecto, Debere ait, graphidos ſcien„tiam habere, quo facilius exemplaribus pictis, quam „velit operis ſpeciem, deformare valeat.“ Haec *Harduinus:* quae pleriſque, arbitror, non multo clariora, quam ipſa Plinii verba, videbuntur. *Falconeti* vocabulum, quod *lineas* reddit, *quelques traits*, ſcripto-

ſcriptoris latini mentem, me iudice, et ſignificantius, et ſimul apertius indicat: hoc enim lineas non meras, nec qualescunque denotat, ſed eas, quibus rei exprimendae proprietates, oculos illico ferientes, vt, in pingendo aliquo homine ſingularia illa, quae faciunt, vt hic a quibuscunque aliis diſcrepet, indicare decet pictorem probabilem artisque bene peritum. Haec interpretatio non admodum diuerſa eſt a notione, quam *de pictura lineari* animo ſibi formauit *Riemius* Celeber. quamque ex ipſius commentatione huc transſcribere placet, expoſito, quam τῷ *graphidis* vocabulo vim et poteſtatem ſubiiciat. Nimirum *graphida* fuiſſe, ait, non ſtilum, ex metallo factum et ſcribendo aptum, qualem vulgo intelligere ſolemus, ſed inſtrumentum pictoribus, antequam penicillum parare et vſurpare norant, vſitatum: ſtilo quidem admodum ſimile, ſed e ligno quodam molliori ita ſectum et temperatum, vt ex altera parte per obliquam ligni ſectionem, latitudinem et aciem quandam, neque tamen fiſſuram haberet; ex altera vero acuminatum, vel obtuſum, vel prorſus teres eſſet. Nonnullorum (plura enim ſemper in promtu eſſe oportuit) extremum latius, vel dentibus, vel malleolo macerari ſolebat, quo vel colores, veluti penicillo quodam, facilius inducere, vel, ſicubi erratum erat, delendo ſine mora emendare poſſent. Huiusmodi graphide picturas tam *μονογϱάμμους*, quam *μονοχϱωμάτους* pingi oportuit, penicillo nondum inuento. Vnde *graphidos ſcientiam* Vitruuius pro ipſa bene pingendi dexteritate, dixiſſe videtur loco, quem ſupra transſcripſi. Quin eadem potiſſimum opus fuit in *pictura lineari*, RIEMIO certe iudice, cuius mens et notio de eius conficiendae via et ratione, iam lectoribus aperte et, quantum fieri poteſt, latine exponenda eſt. Nimirum tabula, plerumque lignea, colore tantum vno, albo, atro, alio, bene illita, ſiccata et laeuiga-

ta, latiore graphidos similis extremo in colorem, ab eo, quo illita erat tabula, diuersum tincto, fingebant in hac rei pingendae figuram integram, cuius lineas extremas vtroque eius extremo quam exactissime, reique naturae conuenientissime, circumquaque ducere, eoque ipso errorem vel leuissimum emendare poterant. Quo facto, ea in figurae loca, quae obscuriora esse decebat, eiusdem instrumenti praesidio, colorem, quo quidem pinxere, inducebant toties, quoties artis ratio, et rei pingendae similitudo postularet; vel, ex illis, quae lucidiora fieri necesse erat, colorem iusto densiorem, deterendo exigebant in obscuriora; seu denique digito, vola, spongia premendo mitigabant, demebantue ita, vt in pictura finita et absoluta, lumen et vmbram quasi cerneres. Verbo, hac via et ratione pingebant vnis tantum coloribus opera, qualia Franco-galli hodie *en camayeau*, populares nostri, *roth in roth*, *grau in grau*, cet. vocare solent. Quin illam non inepte comparare possis cum horum instituto et labore, qui figuras rerum integras tabulis aeneis primum incidunt, tum vero in locis, quibus opus est, plus, minus, malleando quod adesse non debet, ita quasi exigunt et delent, vt figurarum, in charta impressarum, lumen et vmbra plane appareant. Quam rationem populares nostri *die schwarze Kunst* vsurpant. Idem illud efficiendi viam et rationem, praeter hanc, aliam proponit RIEMIVS, quam non tango, metu, ne multis iusto copiosior esse, adeoque reprehendendus videar. Adeat, qui haec scire percupit, viri doctissimi librum, mole non adeo magnum, sed variae eruditionis, et bonae frugis plenum, atque ingeniose scriptum. Igitur ad *picturam encausticam* progredi, et pauca, quae ad hunc locum pertinent, eadem ex commentatione repetita, hic adferre lubet. De quibus antequam expono, monendum est, omnia fere, quae rem, de qua quaeritur, illustrant, auctori

sup-

ſuppeditata eſſe a pictore iam mortuo, cui cognomentum *Calau* fuit, et quem quondam Lipſiae vixiſſe ſciunt noſtrates non pauci, vel potius a quodam mortui amico. Nimirum is, quem dixi, pictor, Illuſtriſſimi Cayli, Generoſiſſimi Taubenhemii, aliorum ſtudio et periculis, hoc picturae genus non ſolum explicandi, ſed etiam inſtaurandi, excitatus, ad eandem rem ac negotium animum applicuit, et per pericula multiplicia et varia, ſaepiſſime inſtituta et repetita, tandem eo peruenit, vt, quod ſequebatur, reapſe aſſequutus, atque aemulis multum ſuperior eſſe iudicaretur a viris nec cupidis, et harum rerum bene peritis. Hic ante omnia de coloribus, ſimili picturae generi aptis atque idoneis cogitauit, et ſaepe multumque periclitatus, intellexit tandem, requiri in primis ceram aliquam ſingularem, quam *punicam*, item *eleodoricam* appellare ſuerat. Quam quo pacto, et quibus ex materiis temperauerit, velut arcanum aliquod myſterium occultauit: exſtat tamen eiusmodi cera, et diuerſorum quidem colorum, apud ipſius heredes, vt, qui quidquam eius, et quantum deſiderant, ab his emere poſſint. His dictis, exponitur eius, quem iam ex vita diſceſſiſſe dixi, pictoris via et ratio, ceram inuentam et temperatam recte et prudenter vſurpandi; et variae enumerantur tabulae, ab ipſo, vel ab aliis, eo ſiue ſimili modo depictae. Quae quidem luculenter demonſtrant, vana eſſe, et certo fundamento deſtituta, quae *Harduinus*, Plinii commentator, *Caylus* Illuſtriſſimus, ipſe *Winkelmannus*, de pictura encauſtica, ceſtro, vericulo, et reliquo apparatu ad eam conficiendam neceſſario, tradiderunt. Quin ex eis tandem liquere dicitur, τὸ ἐγκαίειν, vel ἐγκαίεσθαι, in hoc picturae genere, non vi et poteſtate propria eſſe accipiendum; ſed translata, de materiis tantum, per τὸ ἐγκαίειν, vel ἐγκαίεσθαι, quaſi decoquendo, bene et recte temperandis, et ad pingendum

dum accommodandis. Deſcribitur poſthac totum negotium, et quid in ſingulis eius quaſi gradibus, ſcilicet in iaciendo tabulae pingendae quaſi fundamento, in figura artis legibus conuenienter delineanda, in coloribus inducendis, ſociandis, eorum tranſitu ex hoc in alium, proxime cognatum conficiendo, cet. agi oporteat. In quibus omnibus quid verum, quid falſum, quid facte facile, quid difficile ſit, nos quidem philoſophando et ratiocinando decernere haudquaquam poſſumus: non niſi artificum eſt, periclitando videre, et alios docere, ſi quam viam et rationem recte et tuto ſequi poſſint. Eis, quae *Winkelmannus* ſuper hoc loco diſputauit, et ex compluribus tabulis pictis Herculanenſibus, vel Etruſcis vaſis, effici cogique poſſe contendit, opponuntur varia, nec tralaticia, quae virum alioquin ingenioſum et acutum τῦ *Antiqui* exiſtimatorem, ſed ſaepenumero ἐνθουσιαστικότερον, iuſtoque celerius decernentem, hic, illic, allucinatum eſſe demonſtrant. Haec ipſa vel cupidiſſimum *Winkelmanni* adſeclam aequo animo, nec ſine inſigni fructu lecturum, opinor: ſiquidem vnumquemque τῦ *Antiqui* ſpectatorem et iudicem admonere poſſunt, quanta cautione, quanta prouiſione in eo explorando, diiudicando, aeſtimando opus ſit, ne intempeſtiuo phantaſiae impetu abreptus et occaecatus, laudet, vituperet, quod laude vel vituperio indignum eſt; neque ex vnius, duarum, trium rerum ratione concluſiunculis, ſpecie ingenioſis, id efficiat cogatque, quod longe aliter, ſi non ſeſe habet, certe quidem habere poteſt. Huiusmodi temeraria et inconſiderata concludendi ratio vt aliis in diſciplinis valde noxia et fugienda eſt, ita in τῦ *Antiqui* inueſtigatione et aeſtimatione tanto magis vitanda, quanto facilius in ea labi et errare vel acutiſſimus homo poteſt; et quanto plus damni ex vno leuiore errore, ad ipſas liberales artes redundet, neceſſe eſt.

EXCVRSVS XXII
AD PART. II. CAP. VIII
DE
ARCHITECTVRA.

Admodum pauca, quae hoc de loco moneam, habeo: eademque non tam ad ipſam architecturae naturam et indolem, quam potius ad eius hiſtoriam pertinent. Vnde illa breuiter, pro inſtituti mei ratione, hic exponere placet. Eam ſcriptores plerique contendunt ab Aegyptiis inchoatam et ſatis excultam eſſe; per colonos deinceps in regiones alias miſſos, propagatam: Graecos ſummo, quo erant, ingenio et pulcri, venuſti, elegantisque ſtudio eam perfeciſſe ita, vt aedificia maiora, templa, theatra, fora, odea, cet. ab ipſis exſtructa, ſingulari venuſtate, eleganti grauique ſimplicitate et maieſtate antecelluerint omnibus, per aliorum populorum architectos fabricatis. Verum non ita pridem duo exſtiterunt ſcriptores perquam eruditi et ingenioſi, qui ſententiam, quam adhuc regnaſſe dixi, impugnarent: quorum alter architecturam negat ab Aegyptiis primum vſurpari coeptam, et per hos propagatam; alter architecturam Aegyptiacam contendit longe praeſtantiſſimam fuiſſe, et Graecam ſoliditate, magnitudine, grauitate et maieſtate, mirum, quantum, ſuperaſſe. Priorem ſententiam proponere, tueri et argumentis confirmare viſum eſt RIEMIO eruditiſſimo, cuius commentationem compluribus locis iam laudaui: poſteriorem Italo ἀνωνύμῳ, eidemque inter populares certe admodum celebri, complurium ſocietatum literatarum, atque academiarum, quas vocant, ſodali et paſtori Arcadico, in Diſſerta-

ſerta-

ſertatione ſuper Architectura Aegyptiaca (Dell' Architettura Egiziana diſſertazione d'un Corriſpondente dell' Accademia delle Scienze di Parigi, membro dell' Iſtituto di Bologna, dell' Accademie di Padova, di Siena, di Cortona, di Ravenna, d'Udine, e Paſtor Arcadico. Parma, dalla Stamperia Reale MDCCLXXXVI. forma quadripertita) qua id, quod demonſtrare adgreſſus eſt, copioſe et rhetorico fere more, lectis et illuſtribus verbis exornat. De vtriusque auctoris ſententia et argumentis nonnihil cum lectoribus communicare placet, propterea quod eorum placita, paene contraria et repugnantia ad artis hiſtoriam pertinent, commentarios vero ipſos paucorum in manibus eſſe, mihi perſuaſum eſt. Duarum, quas dixi, ſententiarum priorem credo in primis dignam eſſe, quam paucis exponam. Ipſius auctor, praeterquam quod Abb. *Mignoti* auctoritate, et *Philoſtrati* teſtimonio perpulſus, Indos, populum omnium, quotquot ſunt, reliquorum antiquiſſimum eſſe, adeoque in eorum ciuitatibus vetuſtiſſima artium, quas *bellas*, *pulcras*, *fingentes* vulgo appellant, monimenta exſtare ſumit; hoc aliud velut lemma, ſeu aſſumtum, vna cum Illuſtriſſimo *Caylo* et aliis ſciſcit, omnia ingenioſe quidem, ſed iuſto operoſius facta opera, minutiarum plena, absque iuſtis rationibus, dimenſionibus, et partium ſingularum congruentia (συμμετρίαν appellant Graeci) elaborata, et quibuscunque ornamentis minus neceſſariis operta, et tantum non obruta, manum prorſus infantem prodere, quae illa in ipſis artis quaſi incunabulis formarit: contra vero artificium ſimplicitatis verae, grauis et generoſae, cum dignitate atque maieſtate ſingulari et admiranda conſociatae, callidiſſimum vocat *Cicero* (Qu. Tuſc. l. I. c. 20), indicare eiusmodi manum, quae artis perfectiſſimae, et ad ſummum praeſtantiae gradum euectae legibus atque prae-

praeceptionibus conuenienter laborare et formare didicerit. Quod eius ſcitum, reor, nemo harum rerum peritus in dubium reuocabit. Comparat ſcriptor eruditiſſimus poſthac aedificia quaedam Aegyptiaca, et praecipuas horum partes, cum Indicis quibusdam, et in illis eadem fere, quae in his, cerni et animaduerti ornamenta minutiora, et anxie quaeſita, demonſtrat. Templi Thebaici quondam celeberrimi rudera, hodieque argumento eſſe ait, ipſius ianuas et portas pyramidatas fuiſſe, quales popoſcerit aedificandi lex et formula Indorum, qui ſimilem formam, quod cultus ſui religioſi ſymbolum ſit, declarare credidiſſent. Eiusdem templi Thebaici portas et ianuas animalium figuris fere giganteis, et hieroglyphis iuſto plus opertas et paene obductas eſſe, praeterquam vnam, quae aut non prorſus abſoluta ſit et elaborata, aut a rege aliquo poſteriori tandem appoſita; cuiusmodi ornamenta minutiora, fere innumera, nec niſi abſona phantaſiae effrenae ſimulacra, et aegrotorum ſomnia, in Indorum aedificiis, quae *Pagodas* nuncupant, itidem conſpiciantur. Aegyptiorum reges aedificaſſe pyramides, moles paene immanes, easdemque, quod verum ſit, ſine eiusmodi ornamentis anxie quaeſitis et plane ſuperuacaneis: cauſſam vero, cur haec deſint, poſitam eſſe vel in marmoris duriſſimi, quo opertae ſint, natura, vel in vehementiori regis cuiusque, molis inchoatae perfectionem cernere auentis, cupiditate, et alterutram impedimento fuiſſe, quo minus ſcalpi potuerint: ipſas interea pyramides non tantum breuiori temporis ſpatio abſolutas, ſed etiam monimenta perexigua et minutula eſſe, ſi cum Indorum Pagodis, prope Salſettam et Illuronem, (*Salſette* et *Illuro*) aedificatis, comparentur; vtpote quae, ex *Sonnerati* celeberrimi ſententia, intra mille annorum ſpatium, ad tantam altitudinem euehi, et

tot

tot ornamentis minutissimis velut operiri haudquaquam potuissent. Ex hac comparatione longius continuata, et verbis exquisitioribus ornata, quid efficiat cogatque auctor eruditissimus, iam videbimus. Nimirum ex eis, quae dicta sunt, inquit, luculenter apparet, aedificia Aegyptiorum non minus, quam Indorum, antiquissima, eo quod operta et velut oppressa sunt ornamentis superuacaneis, absonis et naturae repugnantibus, produnt manum sensumque maxime et similem, et prorsus puerilem; ex eisque architecturae apud vtrosque nascentis ratio plane elucet. Quum autem Aegyptii non nisi Indorum coloni, adeoque his recentiores fuerint: credibile, quin longe verissimum est, Aegyptios ex Indis, non Indos ex Aegyptiis, aedificandi leges didicisse, et prima aedificiorum exemplaria ab Indi ora, ad Nili littora delata esse. Architecturae igitur origines Indis potius, quam Aegyptiis, debentur. Talis fere est RIEMII celeberr. argumentatio, quam cum lectoribus communicandam duxi: ita tamen, vt de eius vel veritate, vel falsitate, haud decernam. Lector quisque per se hanc nouam sententiam anquirat, et, prout ipsi videbitur, decernat. Quantum vero hunc auctorem videmus priscam Aegyptiorum architecturam despicere; tantum eam contra suspicit et laudibus extollit Italus ἀνώνυμος in dissertatione, quam supra dixi. Quoniam vero singula, quae in ea, admodum diserte, ac tantum non verbosius dicta, late dispersa atque infinita videntur esse, ratione ac distributione sub vno adspectu poni posse dubito: eorum praecipua tantummodo capita paucis indicabo, vt, quae auctor copiose et ornate dixit, lector quisque facili coniectura assequi possit. Primo igitur capite, *articulum* vocauit, dicendo persequitur bona illa varia et multiplicia, quibus natura ipsa, vel verius diuina prouidentia, Aegyptum beauit;

quaeque

quaeque nunquam non bene, recte et laudabiliter vſurpaſſe contendit regni iſtius ciues. Quo ex capite tres auctoris enuntiationes primas et praecipuas transſcribere placet, easdemque, certis de cauſſis, lingua ipſius vernacula, vt ex his, tanquam ex vngue leonem, eius dicendi genus cognoſcere poſſint lectores. *Il cielo*, inquit, *l' atmosfera, la terra, e gli elementi tutti della natura s' accordarono inſieme a favorire l' Egitto, e a diſtinguerlo con privilegi negati ad altri climi del mondo: eccovi la prima propoſizione. L' Egitto, riconoſcente, e grato ad una natura così benefica e ſplendida, impiegò tutti i talenti a far buon uſo di tali doni, e coſtituirlo, come era il prodigio della natura, così il maeſtro d' ogni arte e dottrina: ſeconda propoſizione. Finalmente il mondo convinto da mille pruove accorda all' Egitto e i privilegi della natura, e l' invenzione delle ſcienze e delle arti, titoli amendue, che lo rendono l' uno ammirabile, perchè ſingolare, l' altro ſommamente utile, perchè benemerito del mondo, prima rozzo e barbaro, poſcia pulito e colto: terza propoſizione.* Quae pauca auctoris anonymi tam affectatum dicendi genus, quam praeiudicatam de Aegypti et Aegyptiorum praeſtantia, ſingularibus meritis et virtutibus, opinionem, haud dubie iam ſatis declarant, ita vt plura vtriusque documenta adferre haud oporteat. Capite ſecundo Architecturam Aegyptiacam, veramque et certam huius rationem et formulam generatim et vniuerſe contemplatur; vt conſequenti, i. e. tertio, eius proprietates ſingulares ac meritum, vel virtutem indiuiduam, nec cum aliis communicandam, ſigillatim exponit; ex quo panegyriſtam diſertum (ita dicere liceat) non vulgari, ſed accurata Architecturae ſcientia imbutum eſſe, apparet. Quartum diſſertationis caput Architecturae Aegyptiacae cum Graeca comparationem complectitur:

tur: cuius posterioris venustatem, elegantiam et praestantiam negare quidem nec vult, nec potest etiam, sed quam tamen in Aegypto natam, et posthac in Graeciam quasi translatam, et ibi ad summum perfectionis gradum euectam esse idemtidem contendit. Quintum et postremum caput versatur in cognoscenda et diiudicanda quaestione: num Architectura, in Aegypto nata, et satis exculta fuerit? nec ne? antequam Solomon templum Hierosolymitanum longe celeberrimum aedificaret. Quae quaestio vt haud dubie ad rem non pertinet, sed recte *μετάβασις εἰς ἄλλο γένος* potest vocari; ita in ea soluenda occurrunt multa *ἀπροσδιονύσως* dicta, quae lectoribus aliis inopinata, aliis prorsus molesta et taedii plena videantur, oportet. Ceterum haec dissertatio, docte et ingeniose scripta, non parum bonae frugis continet, et digna est omnino, quam is lectitet, atque idemtidem seuerius examinet, qui artis architectonicae historiam indagare et perscribere apud animum constituit. Cuiusmodi consilium quoniam in scribendis ad Ernestianum libellum excursibus haudquaquam cepi, nec capere per multas caussas poteram et debebam: hoc vnum de Auctoris *ἀνωνύμου* libello hic addam, eo reuera orationem panegyricam in Architecturae Aegyptiacae praestantiam et virtutes singulares, scriptam et promulgatam contineri; eodemque Aegypti ciuibus tantum ingenii, studii et dexteritatis in artibus inueniendis atque perpoliendis tribui, quantum alii ipsis tribuere vehementer dubitant. Fieri potest, vt perinde fallatur et delinquat vehementior ipsorum laudator, ac vituperator. Quamobrem nihil hac super concertatione decerno, ne alterutri inferre videar iniuriam: decernant, qui me sunt prudentiores, et harum rerum intelligentiores.

EPI-

EPIMETRVM.

Accepi, dum excursus qualescunque mei, typis describendi, operas aliquamdiu iam exercebant, et prela plagulis premendis sudabant, librum eximium, quo FRIDERICVS MVINTERVS, Plur. Reu. atque Eruditissimus disciplinae sanctioris in litterarum vniuersitate Havniensi Professor P. scienter non minus, quam eleganter, quidquid in itinere, decennii superioris anno quinto et sexto, per agrum Neapolitanum Siculumque facto, memoria dignum viderat, et in pugillaribus suis breuiter strictimque notarat, lingua vernacula exposuit, et qui, ex Danico germanice conuersus, hoc ipso anno in lucem exiit. Quem, quam cupidissime perlectum, quoniam plura continere vidi, quae ad *Artium,* quas non pauci *fingentium* cognomento ornant, historiam, in primisque ad argumenta a me tractata, pertinent, quaeque cum Lectoribus optimis et harum rerum studiosis, qui librum illico euoluere vel nolunt, vel nequeunt, communicanda censeo: nonnulla ex eo, velut *Addenda,* libro iam excuso subiicere placuit, vt vel inde videant iudices aequi verique amantes, quanto opere de legentium commodis et studiis promereri, ad eorumque scientiam augendam, quantum in me est, conferre aueam. Quibus in *Addendis* vnum est, hoc e fonte non haustum, sed non prorsus omittendum, eo quod sententiam meam, supra aliquo loco scriptam, magis confirmare videbatur: reliqua omnia ex praestantissimo, quem dixi, libro depromta sunt, ipsisque Aucto-

 ris

ris Celeberr. verbis, plures iustasque ob caussas, huc transscripta.

• Excursu VI. ad Part. I. Cap. IV. (sic emendandus est leuis operarum error p. 171) memoraui complura Deorum signa, diu ante, quam Imperatores rem R. administrabant, ex auro fabricata, quibus alia sunt adnumeranda. Vnde, (p. 172) post verba: καὶ πολυτιμήτους describit (v. Iup. Tragoed. T. III. p. m. 420) velim, L. O. et B. legat: Quibus addendum est praegrande *Iouis* simulacrum aureum, idque sedens, quod in Babylonis sacello quodam inferiori fuisse tradit Herodotus (l. I. sect. 188. p. 86. ed. Wesseling). Aureum etiam fuit signum *Matris Dindymenae*, teste Pausania (Arcad. s. l. VIII. c. 44. p. 694); vti et duo *Apollinis:* quorum alterum Spartiatae, fabricatum ex auro eo, quo ipsos Croesi, regis, liberalitas donarat, in Thornace Laconicae dedicarunt (Herodot. l. c. sect. 69. p. 34), alterum, quod in operto, siue recessu templi Delphici collocatum fuisse perhibet idem Pausanias (Phoc. s. l. X. c. 24. p. 858): qui praeterea, cet.

Excursu XV. (p. 247. sqq) super prisca rerum figuras lineis circumscribendi ratione disputaui, nec sine caussa, quod mihi videtur, perquam credibile esse contendi, mortalium primos varia artificia sine iusta et perfecta horum delineatione inchoasse, et satis scienter venusteque perfecisse. Cuius sententiae (p. 252) argumento esse potest, quod Celeberr. MVINTERVS (l. c. p. 227) narrat: nimirum in Siciliae oppido, olim *Drepanum*, hodie *Trapani* vocari sueto, existere multos, qui ex *Curalio* aliisque materiis res varias, ad vsum domesticum et varia instrumenta

ſtrumenta idoneas, in primis *Sanctorum*, qui dicuntur, *ſigilla minutiora* fabricare ſoleant, eademque non raro perquam bene, eleganter et venuſte facta. Tum haec ſubiungit: Man braucht zu dergleichen Arbeiten, auſser den Corallen, auch Elfenbein, Bernſtein, der auf der Küſte gefunden wird, und geſprenkelten Sicilianiſchen Marmor, oder ſehr ſchönen und weiſsen Alabaſter: und es würde gewiſs von groſsem Nutzen ſeyn, wenn die Regierung den Wunſch der Trapaneſer erfüllte, und eine Zeichenſchule anlegte, wodurch die Fabricanten gewöhnt werden könnten, ihre Arbeit mehr kunſtmäſsig zu verfertigen. Aber bis ietzt hat man nicht darauf geachtet, obgleich dieſe Arbeiten 3000 Menſchen ernähren. — Alio loco (p. 256), quo de Selinunte, Agathoclis, ſaeuiſſimi Siculorum tyranni, patria, quae creditur, plura diſſeruit, in aliis haec animaduertit: Wenigſtens wird viel Töpferarbeit dort gemacht, und zwar von einer Form und Zierlichkeit, die der alten griechiſchen Schönheit ſehr nahe kommt, obgleich keiner von dieſen Handwerkern jemals zeichnen gelernt, viel weniger eine Idee von alt-griechiſcher Kunſt hat. — Cuiusmodi exempla vt ſententiam qualemcunque meam confirmant, ita eam, quam RIEMIVS Celeberr. tuetur (p. 307. ſqq.), valde infirmant, et tantum non refellunt.

Quemadmodum ὁ πάνυ ERNESTIVS (Part. II. c. V. p. 67. ſqq.) admodum pauca de ἀναγλύφοις, eisque ex marmore potiſſimum factis, admodum pauca dixit; ita ego rem, excurſu XVIII. p. 274. itidem tantummodo ὡς ἐν παρέδῳ tetigi, et breuiter ſtrictimque de veriſimili pariter, ac probabili eorum conficiundorum via et ratione diſſerui. Ipſorum inſignem

fignem ad res quam plurimas, et in primis ad cuiusque viri, *Antiquitatum*, et τῦ *Antiqui* potiſſimum, amantis ſcientiam augendam prouehendamque vim et vtilitatem exponere nolui, propterea quod de hac dubitare nullo modo poteſt, qu WINKELMANNI immortalis Monimenta antiqua inedita, Muſei Capitolini tomum quartum, Muſei Pio-Clementini tomum eum, qui ordine quidem itidem quartus eſt, ſed varias ob cauſſas tertio prior promulgatus, recte et, quo decet, ſtudio examinauit, vel, minimum Monimentorum Antiquorum Syllogen priorem, tertio decennii ſuperioris anno, a me curatam, euoluere haud dedignatus eſt, cuius commentatione prima id, quod affirmo, luculento ſarcophagi Agrigentini exemplo demonſtratur. Sed quoniam auctoritatem meam ſcio non eſſe eam, quae virorum eruditorum aſſenſionem quaſi imperare et cogere poſſit; MVINTERI Celeberrimi, iudicis ſane quam intelligentis et circumſpecti, ſententia meam de illorum vſu quam latiſſime patenti opinionem tueri placet, eoque lubentius, quo frequentiorem ea cum artificiis aliis comparandi opportunitatem habuit, et ἀνάγλυφα nonnulla minus nota ſimul commemorat et paucis explicat. Is, de copioſa rerum et naturalium, et artificioſarum Collectione, quae Catanae in Benedictinorum ad *D. Nicolai in Arena* κοινοβίῳ inſtituta ſeruatur, diſſerens, haec obſeruat: Wichtiger ſind die Basreliefs: dieſe Werke ſind überhaupt für den, der als Gelehrter die Denkmale des Alterthums ſtudirt, eben ſo wichtig, und vielleicht in gewiſſer Rückſicht wichtiger, als die Statuen. Die Urſache iſt leicht zu begreifen. Die Statuen ſtellen nemlich mehrentheils nur eine einzige Perſon in einer Handlung vor: ſelten findet man Gruppen mit zwei, faſt niemals mit mehr Perſonen, Laocoons und des berühm-

berühmten Dircaeischen Stieres Gruppe in Neapel vielleicht allein ausgenommen. In Basreliefs hingegen werden so viele Personen vorgestellt, als die Handlung selbst und der ganze Gegenstand erfordert. Der Künstler brauchte also seinem Gegenstande keine Gewalt anzuthun, sondern konnte dem Original folgen, das Süjet mochte nun aus einem alten Dichter, oder aus der alten Mythologie genommen seyn. Daher kommt es denn, dass die alten, besonders griechischen Basreliefs für die Interpretation der Dichter so wichtig werden, und dass sie selbst mehrentheils am sichersten und besten zu erklären sind, wenn sie mit diesen verglichen werden, wenn nemlich ihr Süjet aus Stükken genommen ist, die wir noch haben; denn oft stellen sie auch Begebenheiten aus der ältesten und unbekanntesten ägyptisch-griechischen Fabel vor, von der wir nur im Apollodorus, und in den Scholiasten Spuren finden. Folgende Basreliefs in dem Museum der Benedictiner zogen besonders meine Aufmerksamkeit auf sich — — 1) Herkules auf dem Berge Oeta. Er liegt in einer schmerzhaften Stellung, mit der Löwenhaut um den Hals, auf dem Felsen ausgestreckt. Um ihn stehen vier andre Personen, worunter sich eine durch den Bart und die phrygische Mütze auszeichnet, und die linke Hand betrübt auf denselben Felsen legt. Neben seinem Haupte steht eine andre junge und bekleidete Figur: zwei nakte junge Leute stehen zu seinen Füssen; der eine trägt etwas einer Keule ähnliches zu dem Lager des Hercules hinauf. Vielleicht hat der Künstler die Anstalten ausdrükken wollen, welche Herkules zu seinem Tode machte, wobei nur Philoktetes, sein Waffenträger, und vielleicht ein oder andrer von seinen Bedienten zugegen war. Die Arbeit schien mir gut ausgeführt, ob sie gleich bei

weitem nicht von so hoher Schönheit und Vollkommenheit ist, wie der Taufstein in Girgenti. (Qui hoc loco Fons baptismalis in aede Agrigentinorum cathedrali vocatur ab Auctore Eruditissimo, est idem ille sarcophagus marmoreus, cuius et picturam aeri incisam, et interpretationem in Sylloge, quam supra dixi, Lector O. et B. offendit) — 2) Eine Procession von 4 Figuren, die ein junges Mädchen führen, vermuthlich um in die Orgien des Bacchus eingeweihet zu werden. — 3. und 4. Amphion auf dem Delphin, und Europa auf dem Stier schwimmend. Zwei sehr niedliche Seestücke von rothem Iaspis, oder dem sogenannten *Rosso antico*. Sie sind schon der Materie wegen merkwürdig, aus der sie gemacht sind, da man sehr selten Basreliefs von einer so harten Steinart findet, wie der Iaspis ist. In nota, hoc loco subiecta (p. 411) describit atque interpretatur MVINTERVS Eruditissimus ἀνάγλυφα nonnulla, quae in Museo Pio-Clementino adseruari quidem, sed non magnopere aestimari ait, ideoque vel plane non, vel sero demum, promulgatum iri suspicatur. Musei huius volumen quartum, non nisi ἀνάγλυφα complectens, mihi, saepius iam flagitanti, nondum transmissum est; vnde in praesenti dicere non possum, num in reliquis edita sint? nec ne? quae Danus ille longe doctissimus indicauit.

Excursu XX. (p. 293. sqq.) quo de vasis antiquis in vniuersum disserui, *Campanorum* quoque et *Etruscorum* mentionem fieri oportuit, quoniam (p. 304) haec a viris, rerum similium prudentibus, iure quodam suo, adnumerantur rebus affabre factis, et τȢ *Antiqui* classem augentibus. Eis accenseamus, necesse est, *Nolana*, ab oppido, in quo longe praestantissima fingebantur, id

id cognominis adepta. Quorum copiam insignem iam collegisse, collectam indies augere *D. Nicolaum Viuentium*, virum et stemmatis nobilitate, et eruditione excellentem, Nolaeque decus eximium, testificatur idem, quem saepe iam laudaui, MVINTERVS longe eruditissimus. Qui spectatum viri, quem dixi, summi apparatum describens, vasa quoque similia commemorauit, et de iis nonnulla, minus vel vulgata, vel obseruata ab aliis, litteris consignauit. Unter 200 Stükken (schreibet er S. 60. ff) waren gewiss 20 von ausserordentlicher Schönheit. Die Erde, woraus diese Vasen gebrannt sind, ist sehr fein, von schöner, meist schwarzer Farbe, und ungemeiner Leichtigkeit, in Verhältniss der Grösse der Vasen und Schalen. Dabei ist ihre Form und Bildung sehr elegant. Viele haben Zeichnungen mit sehr gut erhaltenen Farben. Alle Zeichnungen sind gut, und mehrentheils sehr scharf und correct. Ich fand besonders einige ausserordentlich schöne, die in Rücksicht auf Zeichnung sowohl als Composition, nach meinem Urtheil, Meisterstükke waren. Darunter zogen zwei grosse, über einen Fuss hohe Vasen am meisten meine Aufmerksamkeit auf sich. Auf der einen ist Apollo, mit seiner Leier auf einem Felsen sitzend, vorgestellt; Cassandra steht vor ihm, mit einer Lanze in der Hand, und mit sehr ernsthafter Miene. Hinter ihr steht Merkur mit allen seinen Attributen, mit aufgehobener Hand, und in einer Stellung, die grosse Verwunderung über das Gespräch ausdrückt, das er anhört. Die Vase ist besonders merkwürdig, weil man deutlich sieht, dass der Künstler alles mit grossem Fleiss gezeichnet, *und selbst den Contour corrigirt hat,* nachdem er ihn schon einmal gezeichnet hatte, welches man auf andern alten Vasen nicht bemerkt hat. Sowohl Zeichnung, als

 Compo-

Compofition, find bewundernswürdig fchön, und Raphael würde fich ihrer gewifs nicht gefchämt haben. — Auf der andern Vafe ift Apollo wieder mit einem phrygifchen Hut und dem Lorbeerkranz auf dem Haupte. Er fitzt und fpielt auf einer Leier. Vor ihm ftehen zwei Mufen im Gefpräch begriffen, wovon die eine auch eine Leier in der Hand hat. Hinter dem Apollo kommt eine Figur in männlicher Kleidung gelaufen, die einen Lorbeerzweig in der linken Hand hält, und mit der rechten nach dem Lorbeerkranz greift, womit Apollo's Haupt umwunden ift. Aufser diefen beiden grofsen Vafen fah ich in der Sammlung eine Menge kleiner von grofser Schönheit: befonders waren einzelne Figuren darauf mit aller möglichen Eleganz gezeichnet. Auf einigen ftunden Buchftaben und Worte: aber diefe waren fo klein, dafs es faft unmöglich war, fie zu lefen, und ich konnte nicht zur Gewifsheit kommen, ob es Griechifche Buchftaben wären. Dies ift indeffen fehr möglich, da alle Vorftellungen auf den Vafen aus der Griechifchen Mythologie entlehnt find, und die Schönheit der Arbeit ein Alter verräth, wo die Künfte fchon zu einer hohen Stufe der Vollkommenheit gebracht waren. — In diefer ausgefuchten Sammlung befinden fich auch andre Vafen, deren Materie und Zeichnung ganz von den vorigen unterfchieden ift. Die Zeichnung insbefondre ift roh, von Anfängern gemacht, und ftellt oft ausländifche Thiere, unter andern das Rhinoceros, vor. Don Nicola Viuenzio vermuthete, dafs es ägyptifche wären, und dafs die älteften Völker in Italien nach Afien und Aegypten Handel getrieben, und bey der Gelegenheit die Vafen nach Italien gebracht hätten. Dagegen mufs ich indeffen einwenden, dafs die Zeichnung, fo roh fie

auch

auch ist, doch gar nicht ägyptisch, und bis ietzt noch keine gefunden ist, die würkliche ägyptische Hieroglyphen vorstellte. Ein einziger Canopus stehet auf einer von den Vasen, aber die Zeichnung desselben ist ächt griechisch, so dass er aus einem Zeitalter seyn muss, wo schon ägyptische Ideen bey andern Nationen in Umlauf waren. Von allen antiken Vasen sind die Nolanischen die schönsten und kostbarsten. Sie waren schon in der alten Welt selten. — Die, welche man in andern Gegenden Italiens, in Toscana und Apulien findet, sind lange nicht von so vollendet schöner Arbeit. Ich sah einige Avellanische, deren Zeichnung zwar griechisch war, aber durchaus nicht so delicat und correct, die Erde nicht so fein und leicht, und die Farben viel weniger harmonisch. — Don Nicola Viuenzio ist Willens, noch einige Iahre nachgraben zu lassen, und dann eine Beschreibung seiner ganzen Sammlung herauszugeben, die gewiss einer der wichtigsten Beiträge zur alten Kunstgeschichte werden wird. Es könnte sehr interessant werden nachzuforschen, wo die Fabricanten, die diese Vasen verfertigten, den Reichthum von Ideen, und die vollkommen schönen Compositionen und Zeichnungen, die man auf ihren Arbeiten findet, hergenommen haben: und vielleicht würde es möglich seyn, die Vermuthung zu einer Gewissheit zu bringen, dass sie berühmte Gemälde grosser Meister copiret haben. Diess wird besonders dadurch wahrscheinlich, dass viele Vorstellungen so oft wiederholt werden, und die Süjets auf den griechischen Vasen mehrentheils aus der ältesten griechischen Fabel genommen sind, die die Quelle war, aus welcher die ältesten Dichter und Mahler schöpften. — Die Schönheit der Zeichnungen auf den alten Vasen, dringt uns fast den Gedanken

auf,

auf, dass ihre Verfertiger grosse Muster gehabt haben, wornach sie sich bilden konnten. Um in dieser Vermuthung zu einiger Gewissheit zu kommen, würde es nothwendig seyn, alle Nachrichten zu sammeln, die wir von den Werken der alten Mahler haben, und sie mit den Beschreibungen der bis ietzt entdeckten griechischen Vasen zu vergleichen. — Es wäre sehr zu wünschen, dass einer unsrer Gelehrten die Idee des sel. Prof. Hwiid, der alles sammelte, was die Alten vom Protogenes und Zeuxis erzählt haben, fortsetzen, und auf eben die Art das Leben andrer berühmten Mahler bearbeiten wollte. — Sunt praeter Etrusca, Campana et Nolana, de quibus disputatum est, vasa etiam *Sicula*, eademque perquam venusta. Alio enim loco, quo de rebus antiquitus affabre factis, et Panormi adhuc superstitibus differit idem ille, quem dixi, auctor Celeberr. haec habet (p. 195. sq). Das wichtigste ist ietzt eine Sammlung Sicilianischer Vasen, von eben dem feinen und leichten Thon, woraus die campanischen und hetrurischen gemacht sind. Die grösste Fabrik von diesen Vasen war in Camerina, auf der südlichen Küste der Insel, und man findet noch beständig, unter den Ruinen dieser Stadt, eine grosse Menge derselben von verschiedener Arbeit, und mehr- oder minderen Werth. Die, welche in Palermo sind, hat man auf einer Stelle, nahe bei Palermo selbst — — — beisammen gefunden. — — Die Materie ist grösstentheils eine ausserordentlich feine schwarze Thonerde, worauf die Umrisse, zuweilen auch die Schatten der Figuren, mit rother oder gelber Farbe gezeichnet sind. Der Styl der Zeichnungen ist verschieden, bald hetrurisch, bald griechisch, und dann ist er oft mit einem hohen Grade von Vollkommenheit ausgeführt.

führt. Die ſicilianiſchen Vaſen ſind völlig ſo gut, und haben eben ſo ſchöne Zeichnungen, wie die campaniſchen; und ich würde ihnen nach dem, was ich in Palermo und Catania davon ſah, den Vorzug vor dieſen einräumen, wenn ich nicht D. Nicola Vivenzo's Sammlung in Nola geſehen hätte, die alles, was man von alten Zeichnungen ſehen kann, übertrift. Der Innhalt der Zeichnungen iſt allezeit aus der älteren Mythologie genommen. Oft iſt er griechiſch, und dann nicht ſchwer zu entdekken; aber deſto ſchwerer, wenn er die italiäniſche Nationalmythologie, beſonders die hetruriſche, oſciſche und campaniſche Fabel, und älteſte Geſchichte betrift, wovon wir ſo wenig Kenntniſs haben. Man meint, daſs die alten Künſtler auf den Vaſen gezeichnet haben, wenn dieſe heiſs aus dem Ofen kamen, und beinahe fertig waren: allein ich halte das nicht für möglich; beſonders da der gröſste Zeichner ſich ſchwerlich verbinden würde, in ſo kurzer Zeit vollkommen correcte Zeichnungen zu machen, bei denen man ſo ſelten Correcturen bemerkt. Die Hitze ſelbſt würde den Künſtler gehindert haben, frei und ſicher genug zu zeichnen. — — Quo loco de *Catanae* rebus, et antiquitatum reliquiis, in Siculo hoc oppido conquiſitis et adſeruatis, diſſerit item MVINTERVS longe praeſtantiſſimus, in Benedictinorum monaſterio, *D. Nicolai in arena* quod vocari ſupra iam dixi, vaſa quoque complura ſpectata digniſſima reperiri teſtatur (p. 408) his quidem verbis: Der wichtigſte und ſeltenſte Theil iſt eine Sammlung von mehr als 300 alten ſicilianiſchen Vaſen, aus gebrannten Thon, die alle von einer höchſt eleganten Form, und intereſſanten Zeichnungen geziert ſind. — In deſcribenda Celſiſſimi Principis *Biscarii*

rii ſupellectile antiquaria, eademque ditiſſima et rerum exquiſitarum plena, quam a Patre immortali celeberrimoque inſtitui cœptam, locupletare et augere pergit, et cuius deſcriptionem ingenioſam doctamque cum viris eruditis communicare pollicetur Filius, ſtemmatis aeque ac doctrinae ſingularis nobilitate clariſſimus, ſeſe in ea reperiſſe teſtatur idem ſcriptor ac teſtis grauiſſimus (p. 418) octingenta, amplius, vaſa Etruſca et Sicula, ac breui poſt (p. 425) haec obſeruat: Die gemahlten Vaſen, die unter den Ruinen von Camerina entdeckt ſind, haben die ſchönſten Formen, ſind ungemein leicht, und haben oft Zeichnungen mit äuſserſt intereſſanten Gegenſtänden. Ich ſah viele, die offenbar auf die alten eleuſiniſchen Myſterien und den geheimen Dienſt der Ceres anſpielten. Man darf ſich auch darüber nicht wundern, da ſie in Sicilien gemahlt ſind, wo Ceres mehr, als in irgend einem andern Lande, verehrt wurde. Viele Vaſen ſind ſehr klein, aber kleine und groſse, bemahlte und nicht bemahlte ſind von einer Sauberkeit und Eleganz, die ſich nicht mit Worten beſchreiben, und ſchwer genug durch Zeichnungen darſtellen läſst. — Denique ex Centuriparum ruderibus, eodem auctore ac teſte, ſubinde effodiuntur tum vaſa ſicula, maxime intelligenter ſciteque formata et picta, tum gemmae et ſcalptae et caelatae, alia opera aurea et argentea (p. 452), quae luculento ſunt argumento, huius oppidi ciues olim maxima opum et diuitiarum copia floruiſſe.

Excurſu XXI. p. 314. ſqq. dixi nonnulla, quae ad locum de *pictura encauſtica* pertinent. Nonnulla alia, quae ad idem picturae genus inſtaurandum et perficiendum

in

in Italia ſunt tentata, commemorat MVINTERVS, V. Celeberr. eademque huc transſcribere placet, quoniam eius librum in lectoris vniuscuiusque manibus eſſe vehementer dubito. Cuius verba (p. 69) haec ſunt: Die in dieſen mit Aſche bedeckten Städten (Herculanum, Pompeii, u. ſ. w.) geſundene Mahlereien werden in einigen beſondern Zimmern aufbewahrt, und ſind alle enkauſtiſch mit Wachsfarben gemahlt. Dieſe verloren geweſene Kunſt iſt in den letztern Iahren aufs neue erfunden worden. Es iſt bekannt, daſs ſchon Graf Caylus, und Prinz S. Severo in Neapel viele ziemlich glückliche Verſuche machten. Ein noch in Bologna lebender Spaniſcher Exjeſuit fuhr mit dem Verſuche fort, die er in der kleinen Schrift: *Saggi ſul riſtabilmento dell' antica arte de' Greci e de' Romani pittori, del Sig^re^ Abbate D. Vincenzo Requeno, Venezia*, 1784. 8. beſchrieb, und der Hofrath Reiffenſtein in Rom hat die Sache zu einem noch höhern Grade der Vollkommenheit gebracht. Die Kunſt beſteht in der Zubereitung des feinen weiſsen puniſchen Wachſes, das, wie Zucker oder Mehl im Waſſer aufgelöſet werden kann. Mit dieſem Wachſe werden die meiſtens mineraliſchen Farben gerieben, und hernach wie Farben in der Gouache-Mahlerei behandelt. Wenn das Gemählde fertig iſt, wird geſchmolzen Wachs über das ganze Stück gegoſſen, und dieſes ſo nahe an das Feuer geſetzt, daſs das Wachs ganz wieder wegſchmilzt. Darauf wird das Stück polirt und iſt fertig. Die römiſchen Mahler, die an dieſen Verſuchen Theil genommen haben, ſind ſehr damit zufrieden geweſen, und glauben, daſs dieſe Mahlerei die Vortheile der Gouache- und Oel-Mahlerei vereinigen, und dauerhafter, als beide, ſeyn werde.

Man

Man hat verſucht auf Materien aller Art zu mahlen: auf Papier, Leinwand, Holz und Stein, und überall mit gleicher Wirkung. Vorzüglich gelingen die Landſchaften, wo ſelbſt der Hintergrund meiſtens ſeine Harmonie mit dem Vorgrunde behält. Dies iſt indeſſen alles noch Verſuch. Die Zeit und mehrere Erfahrungen werden zeigen, ob die Mahlerei dauert, nicht die Farbe verliert, und nicht von den Materien, worauf ſie gemahlt iſt, abſpringt. Hält ſie alle dieſe Proben aus, ſo dürfte ſie vielleicht die Oelmahlerei verdrängen, oder ſich wenigſtens neben dieſer ſtellen.

INDEX

INDEX.

 ἄστοὶ

TO

Aureae

Colori-

ea

fcri-

Leges

Mono-

Sau-

 fint,

Villae